

B A

B. R. V.


1496

BIBLIOTECA  
Centrală a „Astrei”  
SIBIU



Inv. 226

Ex Libris  
joannii chodimy  
20 gen 83.



# POËMATION

D E

S E C U N D A

## LEGIONE VALACHICA

S U B

### C A R O L O

BARONE

### ENZENBERGIO.



BIBLIOTECĂ „ASTREI”  
(Asociație pentru lit. rom. și cultura poporului român)



Centrala Sibiu.

Nr. 15283

MAGNO-VARADINI,

EXCUSUM IN OFFICINA TYPOGRAPHICA JOANNIS TICHY

1830.

1496

## Ad Auctorem.

Sustine pauca loqui *Vates* de nomine *Magne*!  
 Seu quia magni fis, seu quia magna facis.  
 Seu *Comes* es *Tannoli*, aut es *Cosimellius* una  
     Grammate converso, fallor utroque nihil.  
 Haec sunt *Antoni*! clarorum facta Virorum,  
     Ut suus occulto Nomine splendor eat.  
 Tu facis, ut referant totum decus omne per orbem  
     Samusidae, illustres Martis honore Viri,  
 Hoc quoque jure *Tibi* datur, ut Te *Auctore* Benigna  
     Hoc coepit melius nosse *Theresa* Genus.  
 Felices, quibus hos liceat retinere favores,  
     Et curis, *Princeps Magna*, subesse Tuis!  
 Ergo quoad Sacri florebunt culmina Pindi,  
     Romulidasque feres Rodna superba tuos!  
 Semper honos Operi, *Vati* quoque debitus nra  
     Nomine jam gemino nobilitatus erit.  
 Quid moror? æternum monumentum prostet honoris  
     Quod cerni a tota Posteritate queat.  
 Hinc *Mars*, hinc *Vates* saxo visatur in illo  
     Sculptus, cuique Sago par Toga semper erat.

Canebat  
*Zacarias de Nenel.*

**U**ndique præruptis, qua Dacia vergit ad Arcton  
Rupibus, et nigris adoperti culmina silvis  
Aërium attollunt longo caput ordine montes,  
Aemula quos inter, velut insuperabile vallum,  
Imperia, et metam prudens natura locavit.  
Arboreas hic nulla comas violare bipennis,  
Nullaque mortalis vestigia figere gressus  
Ausit adhuc, pedibus tantum loca trita ferarum.  
Desilit ingenti summa de caute fragore,  
Spumantesque ima secum sub valle volutat  
Rivus aquas tenuis nondum formatus in amnem,  
Samusium appellant. It pauper, saxaque lambens  
Exiguos latices cupido passim aggerat alveo.  
Ast, ubi præcipites saltus, et inhospita linquens  
Lustra, metalliferas Radnæ decurrit ad oras,  
Jam robur capit usque novum, cornuque minaci  
Torvus, et indomitis fertur rapidissimus undis.  
Quis mala, quis clades, aut exitialia damna  
Agrorum, pecorumque, atque insperata  
domorum  
Excidia, ac luctus, demersaque corpora narret,  
Cum sua montanis turgescunt Littora nimbis?

Aggeribus tunc nulla fides; immanis aquarum  
Illuvies, medioque rotantia gurgite saxa,  
Avulsaeque alto montis de vertice quercus  
Cuncta trahunt secum, et campos populan-  
tur apertos.

Arcta quater senos, Radnæ de nomine dicta  
Vallis alit pagos, quos magna parte, furenti  
Samusius praeter sinuosus labitur unda,  
Ast reliquos Clivi curvis anfractibus abdunt.  
Nec Cereri grata est regio, nec amica Lyaeo;  
Non equiti opportuna satis, minus apta  
quadrigis:

Injucunda oculis, scatebrisque referta dolosis:  
Montibus inde altis, hinc saevo occlusus  
ab amne,

Ullo qui nunquam passus se ponte domari,  
Saepe modo caret infelix alimenta parandi  
Incola, et, hostili velut obsidione, tenetur.

Has igitur prisca genti de stirpe Quiritum  
Romulidæ terras habitant. Heu quanta nepotum  
Disparitas! quam vilescit venerabile nomen!  
Namque in maturam Imperio vergente ruinam  
Ingens Hunnorum Scythicis huc appulit oris  
Agmen, et adversae demum discrimine sortis  
Romani servile jugum subiere Coloni.  
Opprimit hos victor, cogitque ad vilia quæque;

Jamque greges Scythicos Romanus pastor  
agebat,

Hunnicaque Ausonii ducebant plausta bubulci  
Longaque cum lingva vitiarunt tempora mores.  
Ast fractæ, fatis tandem ad meliora reversis,  
Incipiunt vires hominum revalescere, et ingens  
Spes rutilat, rerumque novus modo nasci-  
tur ordo.

Jamque dies aderat, cura quo provida Adulphi\*  
Foecundata, uno ter binas Dacia mater  
Enixa est partu proles; informia primum,  
Nulloque inter se connexa ligamine membra;  
Artificis sed enim virtute, atque arte magistra  
Egregii, in pulchram mox instaurata figuram,  
Nam quotquot fuerant (dictu mirabile) massae  
Ante rudes, totidem armatas retulere phalanges,  
Finitimo Matrem quae tutarentur ab hoste.  
Sic, ubi deformes ulla sine imagine foetus  
Edidit, hos multo lingvae solet ursa labore  
In naturales effingere sedula vultus.  
Ergo immortales ævum ut reddantur in omne,  
Inventae Altrices teneris Legionibus aptae,  
Tresve satæ Hunnorum claro de sangvine genti,  
Romulidum tres sorte datæ, quarum altera ripis  
Insita Samusii miro jam robore crescit.

\* Adulphus Baro a Buccow.

Pandite nunc Helicona Deae ! vestroque  
fauentes

Magnarum Vati causas ostendite rerum :  
Desidiam ut veterem exuerint, moresve feroce  
Samusidae ; ut facies mutata sit ipsa locorum ,  
Utque Ceres diro regnet bene juncta Gradivo ,  
Quartus inexpletis cum vix eat orbibus annus ,  
Tantane solerti concessa potentia dextrae ?  
Principio novitate rei , et fulgore corusco  
Armorum perculti animi expavere , nec ultra  
Spem superesse rati , et vana formidine coeci  
Tristia degeneres agitabant mente Quirites  
Arva inculta jacent, lætissima prata putrescunt ,  
Nec pecori accedit pastor , nec messor aristis ,  
Nullaque fit clausis de more frequentia Templis .  
Quin etiam insana jam seditione frementes  
Arma invisa manu , exosique insignia Martis  
Projiciunt , pedibusque terunt , torvoque  
minantur

Intuitu ; at quorum major dementia menti ,  
Armentis , Natisque , ac quod fuga nocte silenti  
Maturata sinit , nemoroso in monte receptis ,  
Odrysii subeunt contermina Regna Tiranni .  
Quo ruitis , miseri ? quas , stulti , quaeritis ,  
aut quas ,  
Multo passuri graviora , relinquitis aedes ?

Arma lucrum , non damna ferunt : ne mu-  
nera sortis

Temnite , propensis neu vos opponite fatis.  
Sed veluti nimio cum febris aduritur aestu ,  
Atque ignem tota jam mente recepit edacem ,  
Delirans furit aegrotus , medicamque repellit  
Indocilis dextram , et tantum nocitura requirit :  
Haud aliter stimulis furialis Erynnios acti  
Samusidae in praeceps , et deteriora trahuntur  
Consilia. His promptam , plebis miserata  
cadentis ,

Aerumnis Regalis opem THERESIA misit ,  
Et CAROLUM afflictis jussit succurrere rebus.  
Olli delatus celeres honor addidit alas ;  
Haud mora , jussa facit , patriasque Tyroli-  
dis oras

Deserit , impavidusque capit Legionis habenas.  
**CAROLUS** , exacto belli feralis agone ,  
Hoc peperit sibi jure decus ; namque abdi-  
ta primum

Summorum decreta Ducum , et molimina magna  
Solers jussorum factor , fidusque minister  
Adjutrice manu studuit pretendere , at auctus  
Nobiliore gradu , ali pedem nactusque cohortem ,  
Quae vigil hostiles exploret cominus ausus ,  
Praevalidum ingenium , virtutisque omina rara

Prodigit ; hinc Procerum , atque Ducum  
studiosa voluntas,  
Hinc honor, hinc veteris condebita prœmia facti.  
Ilicet est CAROLI prima , atque potissima cura  
Militiae vigili scrutari mente Magistros ,  
Et quid quisque queat, quis sit cujusque gerendi  
Censendique modus , prudenti pendere lance.  
Utque hominum non unus amor , non finis  
et unus ,  
Cautior inque mālum ruit hic , violentior ille ,  
Sic statuit quaque appositos statione Ministros ,  
Qui placido nutans firment solamine vulgus ,  
Utilia inducant , atque officientia pellant.  
Hæc ferme admonitu repetit præcepta diurno ;  
Hunc docet , hunc acuit , ciet hunc , hunc  
corripit , atque  
Multiplici metam sic tramite tendit ad unam .  
Obstupuere , novas mirantes undique formas ,  
Romulidæ , atque ingens animo fiducia crevit.  
Jamque situ , et scabra rosus rubigine vomer  
Crebrior invertit terram , et splendescit ab usu ,  
Multiplicatque pecus studio meliore resectum .  
Mox ignotus adhuc quæstus amor , atque laboris  
Vividus assurgit , stimulisque potentibus urgens  
Torporem fugat ingenitum , atque in foe-  
nore gaudet

Pauperie hinc dura , hinc turpi terrore soluti  
 Connubiis juvenes indulgent , armaque nuper  
 Matribus , innuptis , et detestata puellis ,  
 Haud, hilari tractare, manu nova nupta recusat,  
 Pulchrior et sponsus castrensi in veste videtur.  
 Quin et militiae capti genialis amore  
 Conveniunt pueri , et fictis lætantur in armis ,  
 Blæsaque non patriæ mutilantes verba loquelæ ,  
 Imbelli studia exercent Mavortia dextra ,  
 Densique incedunt , et ludicra proœlia miscent ;  
 At juvenes, quorum vegetæ stant corpore vires ,  
 Veracis gaudent leges cognoscere Martis ,  
 Atque operi incumbunt , artesque imitan-  
 tur Avorum .

Bissenis etenim Legio distincta catervis ,  
 Quarum quaeque tribus , de more docenda ,  
 Mägistris

Tradita , solerti vigilis virtute Tribuni ,  
 Militis omnigeno veteris jam munere præstat .  
 Pulchra videre oculis , triplici cum se ordi-  
 ne sistens

Late Acies campos operit numerosa patentes .  
 Tunc ferrugineus , niveusque resulget amictus ,  
 Quem rubeum frustatim intersecat orna-  
 mentum ,  
 Plumeaque Hungarico candescit crista galero ;

Atque repercuسو , laedentem lumina lucem  
Ignivomi dant sole tubi ; latus ense recurvo  
Cingitur , immoto erecti stant pectore vultus.  
Nec mora : se partes conyertens miles in omnes,  
Multiplices docta discriminat impiger usus  
Armorum dextra , simulati exordia belli.  
At cupiens hostem propiore lacessere pugna ,  
Agglomerat sese, densumque coarctat in agmen,  
Tristiaque alternis minitatur damna maniplis.  
Vox tonat irritans , en praepete dextera nisu  
Arripiens ante ora tubum, parat ignibus amplam  
Mortiferis aperire viam , mox ocyor Euro  
Inclinans , subitas sulphur fatale favillas  
Concipit, horrisono coelum boat omne fragore.  
Ast ubi non dubiis patuit victoria signis ,  
Hostilesque fugae jam terga dedere cohortes ,  
Extemplo victrix lento titubantia passu  
Agmina persequitur Legio, alternisque manipli  
Prosilunt vicibus, probrosaque vulnera mittunt  
Si tamen hostiles , adversi crimine Martis ,  
Aspectus vitare juvet , vestigia retro  
Improperata refert , faciemque animosa re-  
torquens  
Fulminat , et poenas ingenti foenore sumit.  
Talia venturae ficta sub imagine laudi  
Fundamenta locat soboles rediviva Quirini ,

Et studio egregiis praeludit praecoce factis.  
His tamen haud CAROLI virtus operosa quiescit,  
Romuleisque Numae pacata laboribus addit  
Officia, et facinus mens perficit una duorum.  
Montibus in patriis genitus, nemorumque  
perennis  
Indigena, atque hominum caetu prope dis-  
situs omni  
Accola Samusii, nativam fronte gerebat  
Barbariem, et vili, informique obtectus amictu  
Corpore sordebat toto, lateque tegebant  
Impexi faciem crines, obscaenaque menti  
Canities; animi sed enim, morumque pudenda  
Rusticitas, et cunctarum ignorantia rerum  
Squallorem longe clamydum superabat, et oris.  
Ingemuit, miserans hominum lacrymabile  
damnum,  
**CAROLUS**, et valida parat obvius ire medela.  
Lenibus hinc monitis, hinc legis jure severae  
Svadet, et assiduus premit, alternaque tenaces  
Persequitur pugna, tandemque exturbat abusus.  
Utque perennet opus, convulsaque stirpi-  
tus atra  
Dispereat labes, studiis, animisque juventae  
Formandis, doctæ reserantur ubique palæstræ,  
Queis polluta nimis, fermeque oblita Deorum

Relligio in priscum assurgat renovata vigorem.  
Sed nec litigii neglecta est cura forensis,  
Extorrisque diu populos Astraea revisit;  
Nam Procerum veneranda manus, dilecta

Minervae,

Consilioque potens, dicundo sedula Juri  
Assidet, et recta pendens oracula lance  
Debilium ad tollit vires, reprimitque potentum.  
At CAROLUS totis munus Cereale lacertis  
Urget, et ignaro tradit paecepta Colono,  
Et, quae cura boüm, quis sit gregis, indi-  
cat, usus;

Quo sata laeta modo spicis onerentur opimis,  
Ignotasque docet sulcis committere fruges.

Non, mihi si lingvae triplices, totidem-  
que canenti  
Ora forent, tenui complecti carmine possem,  
Quot rudibus praebet documenta, aut com-  
moda gignit

Romulidis, aut quas in lucrum excogitet artes.  
Quid referam, omnigenas Fora proponen-  
tia merces,

Septimus immodico revehit quæ foenore Titan?  
Aut celeri segetem frangentes orbē molares,  
Samusidis pariter!, pariterque opus utile Regi?  
Matris Eleusinæ, quid, magno condita sumptu

Tecta canam? ingrati quibus inclemencia Bacchi  
Pensatur, quemve ille negat præstare liquorem,  
Usta redundant seges ubertate rependit.  
Non ego constructas passim primoribus ædes,  
Publica nec memorem peregrinae accom-  
moda genti  
Hospitia, aut medios resecantia compita campos  
Ordine dispositis quæ utrinque repagula vallis  
Stipant, atque pecus teneris a frugibus arcent.  
Viderat abjegnis montana cacumina silvis  
Affluere, intactasque situ marcescere pinus  
**CAROLUS**, atque novos actutum assurgit

in ausus

Ignoram reserare viam, explorataque nulli  
Textilibus tentare struit vada caeca carinis  
Samusii, et populi, Regisque extendere censem.  
Ardua martigenae caedunt pineta secures,  
Structurasque domos, miles jam navita factus,  
Robusta compage trabes contexit, et alas  
Remorum apponit. Stupefactæ Najades audax  
Admirantur opus; stupet amnis et ipse, paratque  
Præscissus insvetae dare libera colla catenæ.  
Provehitur ripis patrio sale classis onusta,  
Atque profanatus frendet sub pondere gurges.  
Ipse regit cursum **CAROLUS**, laetoque pa-  
ventes

Affatu socios animat, nec spumeus illum  
 Vortex aut crebra occurrens catadupa moratur;  
 Sed montosa retro linquens confinia Dacum,  
 Littoraque ingrediens placidi piscosa Tibisci,  
 Pannonicis nova demonstrat commercia regnis;  
 Et meritam a domito famam nanciscitur amne.

At pleno ut scateat praestans victoria fructu,  
 Neu mage Romulidis aliqua sit parte timendum,  
 Undique praevalidis vesanas comprimit undas  
 Samusii aggeribus, vires adimitque nocendi.  
 Nec satis: immenso nequicquam saepe labore  
 Orsum aliis molitur opus, totumque recludit  
 Radnensi firmis accessum pontibus orae.  
 Heu, quae non hyemis superata obstacula diræ!  
 Quae non finitiae plane obluctantia gentis  
 Consilia, aut longae tulerunt fastidia curae!  
 Propositi tamen ille tenax haud cessat, et omnis  
 Expers auxilii, solus molimina tanta  
 Aggreditur, solique in opus commune vocati  
 Samusidae; solique satis. Millena videres  
 Robora, procerasque ornos, pinosque virentes  
 Undique reptilibus per devia compita plaustris,  
 Callem aptum niye dante, vehi; centena vicissim  
 Artificum insudant industria brachia; fervet  
 Interea multos labor haud casurus in annos.  
 Substernenda dolant pars ligna, ingentia quercus

Robora pars accidunt, et ferrum cuspidine  
firmant.  
Ast, alii horrendam, atque immani pondere molem  
Sublimi intextam malo, centumque revinctam  
Restibus, adnixi certant attollere in altum.  
Verum, ubi supremum feralis machina culmen  
Attigit, extemplo funes laxantur, at ille  
Pondere abacta suo, magno ruit impete, et ictu  
Subjectum horrisono terrae sub viscera robur  
Impellit, stabilisque locat fundamina pontis.  
CAROLUS indefessus adest, et singula curat.  
Non illum gelidæve nives, frigusque perurens  
Terrent, sive novi remorantur gaudia amoris;  
Sed SPONSÆ illecebris se se subducit amantis,  
Cui vultum, atque animum insigni natura decore  
Exornat, laudum minimum est sed forma  
suarum.

Discite, Marticplae! virtutem, et munere fungi.  
Haec facies rerum, status hic, tum gloria praesens

Romulidum, plebisque, diu, incrementa jacentis.  
Dignare aspectu JOSEPH \* generose, sereno,  
Praesidioque fove crescentes Martis alumnos.

---

\* Excellentissimus Baro a Siskovics, Supremus Rei Tormentariae Praefectus.

Et decet, et fas est; illi tibi quippe fatentur  
 Fortunam debere suam, manuumque tuarum  
 Sese opus agnoscant, et honoris diceris author.  
 Praeterea ingentem connubia nuperna causam  
 Adjiciunt, spectare TUOS in imagine vultus  
 Dum datur, et NEPTIS ditati pignore gaudent.  
 At si foedifragus quandoque irrumperet fines  
 Audeat Austriacos hostis, TE prima Magistro,  
 Promere bellacis discant monimenta vigoris,  
 Caraque Moravo, sed formidata Borusso  
 Dextera, monstrat iter, veteres quod iere  
 Parentes.

Forsitan hæc multos arbor despecta per annos,  
 Quæ manibus translata TUIS virtutis in horto  
 Vivida jam surgit, CAROLI sudore rigata,  
 Dignos parturiet fructus; radice sub ima  
 Vis patria occultatur adhuc, et nobile semen.

Canebat

Comes SILVIUS TANNOLI.

LECTORI BENEAOTO

# Reflexiones IX.

ad Poëmatum

de secunda Legione Valachica,

Carolo Barone

Enzenbergio,

positae.

---

## LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Aequo accipe animo benevole Lector,  
reflexiones in Poëmation *Comitis Sil-  
vii Tannoli*, secundae Legionis va-  
lachicae limitaneae Capitanei, in lau-  
des Baronis Caroli ab Enzenberg, Co-  
lonelli eiusdem Legionis, anno 1768  
concinnatum, et Cibinii typis Samue-  
lis Sárdy publicae luci datum, pos-  
tas; ducent enim te in pleniores opu-  
sculi cognitionem, docebunt te ratio-  
nem erectae Militiae stabilis campe-  
stris aeque ac limitaneae Transylva-  
nicae; tempus item, et loca, varia-  
que vicissitudines limitaneae hujus,  
quam Poëta describit, Legionis, et  
cum nec tempus, nec occasio longiores  
narrationes admittant, quo breviori  
Stylo in sequentibus habe:

# I.

Inter innumeras , quas Transylvania si-  
nu suo amplectitur hodie Nationes , binae  
*Hunnici* , et tertia *Teutonici* sangvinis arco  
unionis pacto 1613. inito , 1630. conditioni-  
bus aucto , et 1649. innovato , et roborato ,  
junctae , principem tenent locum . —

Priores sunt *Hungarica* , et *Siculica* ,  
sangvinis identitate ejusdem originis , sed  
ingressu , et moribus , ut et terrarum , quas  
incolunt , tractu diversae , — et tertia an-  
tiquiores — scilicet : Daciam Romanorum  
milite , per Aurelianum Imperatorem in Moe-  
siam mediterraneam educto , Gothis cessam ,  
Hunni anno Christi 574. Duce *Balambere*  
ex Asia erumpentes , Athananico , et Phriti-  
geno regulis praeripuerunt , et formato tum  
hic , tum in *Pannonia* potentissimo imperio ,  
sub Attila Rege utrique Imperatori Roma-  
norum formidabili , in sua ditione usque 460.  
tenuerunt , quo filiis Attilae *Irnacho* , Er-

*lacho*, et *Dengezichio* regnum inter se patientibus, subjecti populi jugum excusserunt; duobus posterioribus sublatis, *Irnachus* cum suis Asiaticas repetit sedes; ex *Erlachianis* Hunnis vero 3000 orientalem sylvestrem Dacie mediterraneae insederunt plagam, qui dein Siculi, seu Scytuli sunt dicti, qui a Geula juniore Gentilismi fauore deficientes, et 1001. S. Stephano pacto se submittentes, primaeva sua instituta salva retinuerunt, ut Verböczi T. 3. t. 4. §. initiali confirmavit, dum ait: *Sunt praeterea Transylvanis in partibus Scithuli, nobiles privilegiati, a Scythico populo in primo eorum ingressu in Pannoniam propagati, quos nos corrupto quodam vocabulo, Siculos appellamus, — dissimili penitus legе, et consuetudine gaudentes, — rerum bellicarum expertissimi, qui per tribus, et generationes, atque lineas generationum antiquorum more haereditates, et officia inter se partiuntur, et dividunt.* — Dacia Gepidis cedens, Cunimundo horum Regi Irnachianorum Hunnorum posteri, in *Uturguros*, et *Kuturguros* divisi, in Dacia Alpestri prius considentes 561. surripiunt,

mox et Pannoniam, a Longobardis, per Narsetem in Italiam evocatis, desertam occupant, ac sub nomine *Hunno-Avarum* Imperium Hunnicum in Europa instaurant, possidentque usque 791. quo Carolus Magnus Pannonicum; erumpentes vero Bulgari et Chorobatae Savani Dacicum sustulerunt, sicque Pannonia, et Dacia victoribus cessit populis. — Dacia, velut orientis Imperatoribus vicinior, eisdem fiduciaria suis paruit principibus, et quidem *Rippensis Menumerot*, in Bihar residenti; *Alpestris Glad*, in Temes degenti; et *Mediterranea* nostra Duci Gelaoni, in Castro *Gelau*, inter fluvios Kapos, et Szamos sito, quod hodie *Gyalu* vocatur, et antiquissimae arcis ruderata ostentat.

Populos Dacie Rippensis *Cozarios*, Alpestris *Blachos*, et *Bulgaros*, Mediterraneae vero *Blachos*, et *Schlavos* fuisse testis est Anonymus Belae Regis Notarius. Quamvis Anonymus *Siculos* ad lacum Cseglen-Mezö Hungaris se conjunxisse, et contra Menumerout primos pugnasse asserens, videatur illos habitatores Hungariae affirmare, nihilominus tamen eos hujus Dacie ac-

colas fuisse Clar. Benkő evincit tum Trans. Tom. 1. §. 147. tum in imagine Nationis Siculicae.

*Htingari* Scythici perinde sanguinis populi, et Hunnorum posteri, a Castro *Hungu*, quod cum ingressu in Pannoniam occuparunt, dicti, secus ex genere *Mogog*, *Japheti* filii progeniti, in Scythia sub nomine *Dentu Moger* venientes, a septem Ducibus *Hetu Moger*, in specie vero *Moyeri* vocati, in terra *Dentu-Mogerorum* nimis multiplicati, electo sibi Almo, filio Ugek, e consorte *Emesu*, *Eumedubeliani* Ducis filia nato, supremo Duce, terram Pannoniae, quae olim Attilae Regis fuit, quaesituri, in Europam proruperunt, et primum in Russiam venerunt, ibi *Kiovia* capta, cum hujus Duce sibi tributario facto, pace inita, tum Russis, et horum sociis, septem Cumano-rum Ducibus in societatem adscitis, iter prosecuti, per Galliciam et Lodomeriam, superatis sylvis Howos, in Pannoniam, partesque Hungvár penetrarunt, et locum, quem primum occuparunt, a magno, quo illuc pervenerunt labore, *Munkás* nuncuparunt, ibique 40 diebus subsidentes, dein

arcem Hungu, *Laborcy*, ejus loci Duce Zem-  
lum profugo, in itinere a *Mogeris* occiso,  
suam in potestatem redegerunt. Ubi *Almus*  
consilio suorum filium Arpadum Hungaris  
Ducem praefecit. — Arpad proinde fixam  
per patrem in Hungariae partibus sedem  
non solum firmavit, sed etiam auxit, nam  
anno Christi 903. terram inter Tisciam, et  
Bodrug usque Ugosam, cum castro Borsva,  
ad Salani Bulgarorum Ducis ditionem spe-  
ctante, occupavit; tum Salani legatis audi-  
tis, et suis expeditis, atavi sui Attilae di-  
tionis particulam pro pascuo sibi conceden-  
dam postulavit, acceptisque sarcina herbae,  
et lagunculis duabus, aqua Danubii repletis,  
dictionem Ducis Salani interpretati, pro-  
gressi sunt *Zerench*, et ibidem factis tugu-  
riis, quieti se dederunt, hinc occupant ter-  
ram versus montem *Tatur*, construuntque  
castrum Borsod; postmodum a Bihariensi  
Duce *Menumerot* de justitia atavi sui *Atti-  
lae* Regis sibi concedere terram a fluvio Zo-  
mus, usque ad confinium Nyr, et usque ad  
portam Mezesinam petiit, quam quia Menu-  
merot denegavit, Ducibus Tosu, Zobolsu,  
et Tuhutum, expedita manu *Menumerot*

haud resistere auso , occupavit Comitatum Szabolcsensem , Saruváriensem , Nyírensem , Szathmáriensem usque ad portas Mezesinas.

Tuhutum accepta a Duce Arpad potestate , terram *ultrasylvanam* , *Blaco Duci Gelaoni* tunc propriam , sibi , et posteris suis aquirendi , terrae bonitate , et inhabitatorum statu praevie explorato , exercitum ultra sylvas ad fluvium Almás usque ducit , quo Gelao cum suo exercitu obviam venit , at Tuhutum ante crepusculum matutinum diviso exercitu Gelaonem circumvenit , in fugam agit , fugientem milites Tuhutum ad fluvium *Copus* interimunt . — *Tunc habitatores terrae* (Valachi et Schlavi) *videntes mortem Domini sui* , *sua propria voluntate dexteram dantes* , *Dominum sibi elegerunt Tuhutum* , *patrem Horka* , *et in loco illo* , *qui dicitur Eskuleu* , *fidem cum juramento firmaverunt* , *et a die illo locus ille nuncupatus est Eskuleu* , *eo* , *quod ibi juraverunt*.

Ex hac itaque Anonymi Belae Regis Nottarii , de ortu , progressu Hungarorum in Transylvania et Hungaria 27 capitibus facta deductione liquet :

a) Hungaros esse Scythicae originis, posteros quippe Hunnorum Attilanorum, in Dacia, et Pannonia olim potentissimum imperium tenentium.

b) Jure avitae successionis Attilanum Imperium quaesituros in Europam erupisse, ac in Hungariam properasse.

c) Hanc sibi ab eam possidentibus tunc populis jure successionis praetendisse, et per ditionem a potiori occupasse.

d) Terram ultra-sylvanam interempto Gelaone Blacorum Duce, pacto gentis cessam, in Tuhutum potestatem devenisse — nec enim secus scriberentur: *inhabitatores dexteram dantes, propria voluntate Tuhutum sibi Dominum elegisse, et eidem fidem cum juramento firmasse*, etenim bello victi populi in servitutem acti, ut ut omni libertate privati, dexteram dare, et de propria voluntate Dominum sibi eligere nequeunt. Unde

e) primum est populum ultrasilvanum cum Ducis Tuhutum populo in unum coalescisse, quod vel inde indubie elucet, quod Ducibus Hungarorum moris fuisse, e consilio suorum tum alios, tum et devictos

populos, societatem ipsorum ambientes, in socios fortunae adoptare; assumptio Ruthe-norum, et Cumanorum, item Menumerot, et Nitriensium, Hismaëltarum Ducibus Bil-la, et Bocsu, item Heten, Bisseni militis Tomizoba sub Duce Toxu abunde probet, cur itaque Tuhutum id renuisset, praeser-tim dum hac ratione sine effusione sanguinis ulteriori, et regno potiri, et illo seculo frui quiverit, ratio nulla fuit.

Docet id et illud, quod lege publica sancitum fuerit S. Steph. D. L. 1. C. 6. et Andreae 2. D. I. a. 11. extraneos artium gñaros concivilitate donare, unde in indige-nam recipiendi mos hodieum inter jura po-puli comitialia A. 3. T. 41. a. 1. et a. 11. anni 1791. numeratus originem trahit, sed et ratio id ipsum syasit, Hungari enim mili-tes in medio aliarum sibi infensarum natio-num sedem figere intenti, arma solum tra-ctantes, ut ea, quae ad victum necessaria sunt, continenter habere valeant, populos terrae obtentae sibi devincire adlaborare debuerunt, secus nec in quaesitis sedibus, nec a vicinis populis securi fuissent, nec nervum rerum gerendarum, annonam, et reliqua

habere potuissem, populos vero hos sibi plene alligare, nisi unica associatione qui-  
verunt, amissa enim libertas communiter offendiculum, resultum data occasione su-  
mendum quaerens parit, et alit, quod sa-  
pientes, ut Anonymus, imo et ipsa rei ge-  
stae series, hujusque eventus probant, Hun-  
garorum Duces latuisse nec supponi potest,  
quod praeter superius adducta, vel tertiae  
superius tactae nationis receptae sangvinis  
Theutonici fixa sedes comprobat.

Gothorum reliquias in hac provincia aliquas cum ingressu Hungarorum fuisse ad-  
mitti debet; quae tamen tam exiguae esse  
debuerunt, ut nec nominari potuerint, Ano-  
nymus enim alto aliorum populorum silen-  
tio tactus; Blachos, et Schlayos tunc rerum  
Dacicarum Dominos asserit. —

Plures vero Theutonici sangvinis sub S.  
Stephano, et Salomone, quorum uxores  
germanicae originis fuere, Petro Alemanno,  
et ipso Germano gressum in Hungariam, et  
Transylvaniam nostram obtinuisse, historiae  
ipsae testantur, nequaquam tamen has di-  
stinctam nationem numero suo facere po-  
tuisse, id palam evincit: quod Geizae II-do

tribuatur, quod reduces ex bello cruciat. Saxones receperit in Transylvaniam, et tractu Cibiniensi jure civico possidendo donatos, evocatisque ex Flandria et Leodia fratribus auctos, cum Blachis et Bissenis communione terrarum usuros, justum populum formare fecerit, quibus a Geiza datas libertates, 1224. Andreas 2-dus privilegio confirmavit, sicque successu temporis tertiae receptae nationis Transylvanicae jure gaudere cooperint.

A jure, quo nationes hae obtingentes terras possident, tres distinctas nationes constituunt, in distinctis terris, et distinctis etiam privilegiis juribusque ab invicem sejunctas.

Nam Hungari Comitatus incolunt 11, et Districtus duos. — Siculi Sedes 7 Matres, et Filias 5, verum cum Matres tres, Sepsi, Kézdi, Orbai, uni eidemque subsint Supremo Judici Regio, sub nomenclatione Trisedis (Háromszék) hodie pro una reputantur, et sic 5 Matres, et totidem Filias numerant.

Saxones 9 Sedes, et duos Districtus. — Interim incolae harum Jurisdictionum Va-

lachis maxima parte mixti sunt, adeo, ut Comitatensium incolarum potiorem partem constituant, Saxonum Sedes plurimos numerent, in Sedibus Siculorum quoque non contemnendus reperitur Valachorum numerus. — Sunt et Bulgari, praeterea Rutheni, Rasciani, qui Valachorum partem hodie efficiunt, ex eo, quod praeter nomen nihil ex avita nativitate habeant. Horum illi, qui nobilitari praerogativa ornati, vel civica libertate gaudent, prout et Armeni, Germani, et Graeci, illius nationis, in cuius gremio sedem fixerunt, membra sunt, iisdem cum ceteris ejus nationis Nobilibus et Civibus juribus, libertatibus, et praerogativis gaudent, niforte quantum Valachos, et reliquos Graecum ritum sequentes attinet, non uniti sint, hi enim religionis toleratae censentur, et a publicis Officiis excluduntur, sunt insuper Judaei quoque, et Zingari, jure civitatis destituti.

Nobilitatis obligatio erat defendere patriam contra hostem, dum Regis stipendiati, et banderiati non sufficerent. Banderia Regis constabant initio ex militibus stipendiatis, militibus castrensisbus, exemtis item

ex Jobbagionibus castrenisibus, *Ewriis*, seu limitum custodibus; Banderiati vero erant Praelati, et Regni Barones, et arcium finitimarum Capitanei, qui a proportione bonorum, et proventuum Officio adhaerentium, proprium Banderium erigere, Regisque castra sequi obstringebantur: unde in priori casu particularis, in posteriori vero generalis insurrectio, confluxus Nobilium in campum Martium susceptus audiebat. —

Sub Ludovico Magno art. ejus 11. militibus castrenisbus ad unius Sessionis Nobilium classem elevatis, Regis Banderium minui, augeri vero Comitatum coepit. — Post separationem Transylvaniae ab Hungaria particularis crebrior insurrectio contra Turcas imperata Status Hungariae eo induxit, ut eam redimerent, statutis, et necessario commeatu provisis numero certo militibus, id perhibentibus a. 3. 1649. a. 5. anni 1655. anno demum 1715. in intentionem militiae certum tributum articuliter statuerent, atque sic in locum particularis insurrectionis campestris militia erecta est.

In Transylvania , postquam ab Hungaria separata fuisse , Banderiis sensim sublati , praesidiarius miles successit , aere partim Principum , partim regnicolarum conductus , ut hoc multis evincit Clarissimus Benkő , Transylvaniae Tomo 2-do §. 203. protectione paterna Augustae Domus Austriae , pactis , Viennensi 1686. Balásfalvensi 1687. et Cibiniensi 1688. inter Principem , et Status Transylvaniae , ac Leopoldum Magnum initis , innixa , post mortem Michaëlis 1-mi Apaffy 15-a Aprilis 1690. Fogarasi sub Comitiis interventam , ad submissas Statuum preces edito , 4-a Decembri 1691. sacro Diplomate 1692. 15-a Martii celebratis in Comitiis Albensijs a Statibus inter summa gaudia accepto , stabilita , cum Diplomatis hujus puncto 12. quantum protectionale tempore pacis in 50,000 Taleris , tempore belli , pro Transylvania , vel Hungaria suscipiendi , in 400,000 florenorum , eo intellectis proventibus Fiscalibus quoque , stabilitum , — puncto vero 17-o , reddita Transylvanis desiderata pace , praesidiario milite externo educto , patrio praesidio providenda statueretur , — sit , ut sub nomine

Plajasonum, et Hajdonum, plures praesidiorum exigerentur, quorum posteriores post pacem Karlovicensem, 1699. cum Turcis iactam, Transylvania sub Leopoldi protectione reducta, et Principe Michaële juniore Apaffy 12,000 florenorum annua pensione accepta, Principatui renunciante, Transylvanisque teste art. 1. 1744. haereditariam successionem in Protectoris filium Josephum I-um, electum Hungariae haereditarium Regem, exemplo fratrum Hungarorum transferentibus, 1702. sub cura proprietarii Comitis Adami Babocsai, in campestris militiae pedestris Regimen sunt redacti, quod hodie a Proprietario Barone, Mecserianum audit.

Magna Maria Theresia cum initio regiminis illico a Sanctionis pragmaticae invidis, Borusso, Bavarо, Gallis, Hispanis, et Saxonibus, jus ad haereditarias Augustae provincias praetendentibus circumdata, 1741. insurrectionem, sequenti vero anno Transylvanis potiori parte fame, et peste pressis, bismille homines ad Regimina campestria Hungarica completanda suppeditandos imperat, qui ad preces Statuum in duo no-

va Regima cempestria , Comite Gyulay-  
num quippe pedestre , hodie Barone Splé-  
nyianum , et Comite Kálnokyanum equestre ,  
hodie Archi-Duce Josephinum , benigno Re-  
gulamento 1759-i 12 punctis praescripto in-  
structa rediguntur , quibus subinde cum ini-  
tio hujus seculi accessit Barone Vaquantia-  
num , ex Hungaris et Transylvanis erectum.

A Christianis vicinis bello laccessita Au-  
gusta Mater , quo contra christiani nominis  
hostem conterminum , Turcam , ditiones suas  
munire possit , limites stabili milite , fundis  
oeconomicis proviso , ac ad hostium motus  
vigili , firmare statuit , quem dum per fines  
Dalmatiae , Croatiae , Schlavoniae , et Ba-  
natum Temesiensem , usque Transylvaniam  
jam erexisset , nostra ditio circumvallanda  
restabat.

Populorum suorum felicitati studiosa  
Benignissima Mater constituit : ut a virtute  
militari alioquin semper celebratissimi Atti-  
lanorum Hunnorum posteri Siculi , Molda-  
viae , et Valachiae conterminam orientalem  
provinciae partem colentes , qui ex primae-  
vo suo Instituto , ab omni pecuniario tribu-  
to liberi , 1473. per Serenissimum quondam

Mathiam Corvinum in tres ordines: Primum quippe, qui donatariorum Comitatem more cum conductitiis, Primipillorum, qui equites, et Pyxidariorum, qui pedites armati insurgere obstringebantur, divisi, militare pro regni defensione tenebantur, limitibus viciniores huic militiae addicantur.

Tum Romanorum, Daciae olim dominantium posteri Valachi nobiles, liberi, et Sacerdotum filii, et quidem Romanae Ecclesiae vere uniti, limites reliquos versus Moldaviam, et Valachiam protensos, ut Martis alumni stipare jubeantur, quippe hi impopulationis Transylvaniae maximam partem constituentes, qua nativi terrae coloni, soli sui amantissimi, nobili aut libera conditio ne, atque religione Romanae unita, a viciniis Moldavis, ac Valachis, et moribus, et legibus longe distincti, fini intento maxime responsuri jure merito credebantur, anno proinde 1762. in Sedibus Siculicalibus Csík, Gyergyó, et Kászon, 1. Legioni pedestri Siculicae e Pixidariis, et pauperioris sortis Primipilis, alteri vero Legioni pedestri in Sede Háromszék, et ejus filiali Miklósvár, ac filiali Sedis Udvarhely Bardocz nuncupa-

ta Sede erigendae manus admoventur, et hunc in finem altrices Legiones praeviae illocantur, unde sequenti anno 1763. in Sede Csík, Gyergyó, et Kászon Legio prima instituitur, denique 1764. secunda erigitur. Ex intermixtis his Legionibus potentioribus primipilis octo equitum cohortes sunt erectae. Eodem anno in contermina Marmatiae, Poloniae, et Bucovinae valle, seu Districtu Radna, secunda Legio Valachica inplantatur, tum haec, tum Siculica Legio prima armis insveta, ac Institutorum officialium linguae ignari, armis 1764. rejectis, montium juga petiere, plures vero in vicinas provincias Turcicas profugere, donec Siculi clade Madefalvensi excitati, Valachi vero prudenti arte Colonelli Caroli Baronis ab Enzenberg edocti, ad saniora reducti, se Marti perpetuo devovissent.

Anno 1765. prima Legio Valachica a Porta ferrea usque Coronam, per Comitatum Hunyad, Albensem, Sedem Szászváros, Cibiniensem, et Districtum Fogarasiensem, et Barcensem erigitur, ac per medium provinciae, a Districtu Kövár inchoando, usque Districtum Fogarasiensem, e potiori No-

bilitate unius sessionis, Sclopetariis, Boëronibus, Salicidis, et nonnullorum Oppidorum nobilitarium Civibus octo cohortes equitum Valachorum sunt formatae, adeo, ut militia limites stipans 4 pedestres, et duas equestris efficeret Legiones. 1775. equites Valachi ad 4 cohortes reducti, Legioni equestri Siculicae sunt incorporati. 1783. Dominium Borgo finibus Moldaviae adjacens, ejatibus colonis apud Augustissimum tunc Josephum Imperatorem, Regimini secundo pedestri limitaneo Valachico sibi vicino, sui aggregationem implorantibus, ab Illustrissima Comitum Bethlen Familia Fisco cambio quaesitum, secundae Legioni Valachicae 1783. — 26-a Decembris incorporatur, et 5. Januarii 1784. in militarem ordinem redactum, magnum huic Legioni incrementum addidit.

Murum in limite provinciae, erecta hac militia, ductum crederes contra Turcas, dum a Porta ferrea usque Coronam per fines Valachiae primum Valachicum Regimen sua Praefectura in *Orláth*, loco Cibiniensi Civitati vicino stativante provisum, limites custodiret, — a Corona huic contermina Trisediensis Siculica secunda Legio, cuius

Praefectura in Kézdi-Vásárhely est, fines ejusdem Valachiae stiparet. — Denique Moldavos limites in Sede Csík, Gyergyó, et Kászon, locata prima Legio Siculica pedestris Praefecturae in Csík-Szereda residenti subordinata custodiret, et ulteriores Poloniām versus ducentes Moldaviae, et Bukovinae fines tuendos, contiguae in finibus quippe Comitatuum Thorda, Kolos, Doba-ka, et Districtus Bistriciensis satae, et a Praefectura in Oppido Naszod constituta dependenti secundae Válačicæ Legioni pedestri committeret.

Equestris, cuius Praefectura in Oppido Sedis Hámromszék Szepsi-Szent-György nuncupato degit, duabus Siculicis, et primae Legioni Válačicæ parti in Districtu Fogaras degenti intermixta, non contempnendam partem in Sede Aranyos, Comitatui Thordensi, ex quo per Ladislausum 4-um excisa, et Siculis Kézdiensibus Tataros ad Thoroczko debellantibus, jure Siculico collata est, vicina Oppidis item Egerbegy et Gyéres Thordensi, Tövis-Borbánd, et Vajasd, Albae Inferiori, Losád, et Dobrá, Hunyadiensi Comitatibus ingremiatis; sitam habet.

Tota haec limitanea Militia Fundis , et Familia est provisa , tempore pacis rei ruralli , et pecuariae vacans , a fide , constantia , et fortitudine celebris , quid Patriae , patriusque mutuus amor valeat , docuit , docetque , nunquam enim hanc hosti aut manum vinctam obtulisse , aut terga dedisse auditum est , imo prima potissimum aut in hostem irruere , aut eidem resistere jussa , vitam potius immolavit , quam hosti cessisset , adeo , ut crederes protoparentes Hunnos , et Romanos virtutis militaris omnium celeberrimos promotores , in pronepotibus suis revixisse .

Nec mirum , solum , quod incolunt , a potiori sterile , nonnisi assidue cultum necessaria ad victum , et amictum , quem pacis tempore sibi procurare tenentur , suppeditat , viros proin martiales , clauso Jani templo , Ceres , et Saturnus occupant , cum autem sobolis educandae cura matribus communis sit , viris Martis ludis occupatis , Saturni , Cererisque cultus foeminae ipsae exequuntur , ex bene compactis , atque duro labore agitatis , roboratisque artubus , laceratos debiles , frigoris , caloris , et laboris im-

patientes provenire quis credat? vir, et mulier, filius, et filia, ab incunabulis pari labore occupantur, pari et virtute excellunt, adeo, ut ferente necessitate utriusque generis juvenes exercitum justum formare posse extra dubium videantur; cum lacte materno naturam Martialem, omnis laboris patientem inbibunt, sed inbibunt et stimulum honoris, et eminendi studium, ut Siculum, Valachumque, limitaneae militiae adscriptum si excolas, ad quasvis artes, scientias, officia, et artificia addiscenda, et quaevis negotia tractanda aptissimum reperies.

## II.

Erectio hujus militiae, et in specie secundae Legionis Valachicae, in valle Rodna coordinatae, Domino Authori praebuit materiam, et occasionem Poëmation praesens concinnandi.

## III.

Est vallis haec inter montes Carpaticos a septentrione orientem versus protensos, jugis suis fines Marmatiae a Transylvania,

Polonia, et Bukovina discernentes, et montes Borgoienses, ac Bistricienses sita, exiguum habet planitem, quam praeterfluens Samusius alluit.

Nomen ab Oppido *Rodna* in angustiis montium Bukovinae contiguis jam 1242, et 1310. ut Fridvalszki Mineralogiae M. Principatus Transylvaniae p. 1. §. 3. et partis 2. §. 36. notavit, florente, et argenti, ferri, ac plumbi fodinis, quarum cultura hodie dum continuatur, divite (hodie vicus est monti cultorum Praefecturae sedes, ruderibus antiquorum aedificiorum, et templi eminentem quondam suam sortem edoctam, acidulis, et balneo suplere contendens) sub Regibus Hungariae cum toto suo Districtu libertatibus montanarum Civitatum proviso, adepta est, Saxonibus Bistriciensibus a Comitum Dominio, cui per Ladislauum Posthumum, donatione Joanni Hunyady facta subjecti fuerant, liberatis.

a) Commissionalibus Mathiae Regis, anno 1472. in Festo Beati Emerici Ducis Jaurini expeditis, Valachi hujus vallis a Comitatu Doboka sejuncti, ad Civitatem Bistricensem pertinere, ac in omnibus libertati-

bus, quibus antea usi fuerant, permitti jubentur.

b) Privilegio ejusdem Serenissimi Regis, Sabatho primo post Octavam sanctissimi Corporis Christi 1475. Budae dato, Oppidum Rodna cum suis pertinentiis (adeoque valle) incorporatur, et aggregatur Civitati, et Districtui Bistriciensi ea lege, ut praefatum Oppidum cum suis pertinentiis, hospitesque, et incolae carumdem universis iuribus, libertatibus, consuetudinibus, gratiis, et privilegiis, quibus Civitas Bistriciensis, Civesque, et Communitas ejusdem ab antiquo usa exstitit, uti perpetuo et gaudere valeat, atque possit, ita tamen, quod Oppidum ipsum, et pertinentiae ejusdem dictae Civitati subjecta esse censeantur, et cum Civibus Civitatis Bistriciensis, et suis pertinentiis connumerentur, ac in omnibus contributionibus, tam ordinariis, quam extraordinariis, Regi provenire debentibus, taxentur, — committiturque Vajvodis, et Vice-Vajvodis, et aliis, quibus intererit, ut praefatum Oppidum, hospitesque, et incolas ejusdem, et pertinentiarum praesentes, et futuros praemisso modo liberatos, in prae-

scriptis universis juribus, libertatibus, consuetudinibus, gratiis, et privilegiis defendere, tueri, et conservare teneantur, etc.

c) Relatione super Statutione in Festo undecim millium Virginum, per hominem regium Joannem Keresztúr, et Testimonium Conventus Beatae Mariae Virginis de Kolos Monostra P. Ladislaum peracta, per eundem Conventum Expeditae docent, quod eodem anno Civitas Bistriciensis in Dominium Oppidi Rodna simul cum magna Valle, et omnibus ejus appertinentiis, Rodna-Völgye vocatis, eidem Civitati annexi, et incorporatorum introducta sit, vide Marienburg Geographiae Transilvaniae partis 2. pag. 387.—390. unde prona est sequela, incolas hujus vallis libertate civica, quibus ceteri Cives Bistricienses utebantur, ante erectam militiam quoque usos fuisse, utique debuisse, ac a Magistratu Bistricensi, ut pars ejusdem Districtus, dependisse.

#### IV.

*Samus*, vel *Samusius*, Hungaris Szmamos, in *Magnum* et *Parvum* divisus, ille

e radicibus Carpathiorum montium, Poloniā, et Bukovinā tangentium, supra *Rodnam* ortus, per Districtū Rodnensem in Comitatum Szolnok-Interiorem delapsus, circa pagum *Szeszrama*, *Sajónem*, in Carpato Districtus Bistriciensis natum fluviū recipiens, infra pagum *Mikeháza*, supra *Oppidum Nobilem Déés*, minori in radice montis *Kalata* Comitatus Kolos, ad montes Gyaluienses orto, ab occidente orientem versus per Claudiopolim Szamosújvár defluenti miscetur, ac sub nationalibus Principibus sali, e fodiinis Déésiensibus exciso, Szathmárinum, quod abluens, in Szabolcsensi Comitatu ad vicum Apáthi Tibisco influit, vehendo applicatus, mox tigno, sabulo, et idgenus sordibus oppletus, sub Augusta Maria Theresia repurgatus, et sali, et ratibus, praesertim postquam majori opera Baronis Caroli ab Enzenberg Colonelli, hoc Poëmatio laudati, ad navigium artificiose curatus fuisse, e montibus Rodnensis congestis vehendis subactus est.

V.

In Districtu hoc saluberrimae acidulae suas habent abundantes scaturigines, celeberrima Rodnensis, ad usum magnifice culta, cuius virtutes, dum Excellentissimus, Illusterrimus, ac Reverendissimus Dominus Episcopus Graeci-Ritus Catholicorum Fogarasiensis, Gregorius quondam Major, solemni ritu 1775. 23. Junii benedixisset, sequenti versiculo expressit:

Renibus, et stomacho, spleni, jecoriique medetur.

Mille malis prodest ista salubris aqua.

Abundat feris, et pecoribus, secus terram, ut in montanis plagis communiter evenit, sterilem habet.

VI.

Incolae, si Urburarios, et montanos Officiales demas, sunt Valachi, religionem Graeci-Ritus Catholicam profitentes, numerat pagos 24, qui ante erectionem militiae per montes dispersi, ea erecta in ordinem reducti, et novis etiam aucti, atque Roma-

nis nominibus, puta: Salva, Romuli, Parva, Nepos, insigniti sunt, eorum plerique Samusio fluvio adjacent. Caput hodierni militaris hujus Districtus est Oppidum militare *Naszód*, Stabi, seu Praefecturae hujus Legionis, Vicarii item foranei, et Instituti militaris, in quo succrescens juventus limitanea Germanica lingua diversis artibus, et scientiis eo cum progressu excolitur, ut plures Legioni primarios, et subofficiales praebeat sedes. Pars illa, quae 1783. in Dominio Borgoiensi est erecta, ab hoc Districtu interjacentibus montibus Bistriciensibus se jungitur, atque inter modo dictos, et Moldaviae montes interacentem vallem, usque montes Görgényienses, Sedi Gyergyó contiguos, protensam colit, hujus incolae aequo Valachi sunt, sed in parte Ritus Graeci Schismatici, caput ejus est *Borgo Prund*, Supremi Vigiliarum Praefecti sedes.

## VII.

Quod *Instituti litterarii Naszódiensis* ortum, et progressum respicit, postquam Legio secunda Valachica in valle Rodna sa-

ta, debitum in ordinem redacta est, circa annum 1778. Schola latino-germanica, agente, et docente *Archi-Diacono P. Hyeronimo Kálnoki, Ordinis Divi Basilii Magni Hyeromonacho*, est erecta, quae sub Archi-Diacono Joanne Párá continuata fuit, sed cum linguae latinae progressus exiguis nimis comperiretur, sola germanica lingua doceri coepit. —

Imperator Josephus secundus edito ad supremam armorum Praefecturam 1782. die 23-a Februarii Benigno Rescripto Regio, e proventibus Legionis hujus applicidatis 6996 Rhfl.  $45\frac{3}{4}$  xr. hodiernum Institutum aedificari jussit, illudque intra anni cursum, limitaneis ipsis militibus, materialia, et manuales labores certatim gratissimo, et promptissimo animo suppeditantibus, ad eum statum perductum est, ut anno 1784. die 22. Novembris Scholae, et alumni solemnni ritu in illud introductory sint. Numerus alumnorum, qui sunt soli filii limitaneorum militum, 50 fuit defixus.

Intertentio ex proventibus Legionis erga ponendum quovis mense ratiocinium est ordinata, sed quia similia ratiocinia pluri-

bus difficultatibus erant obnoxia, Sacratissima Sua Majestas Josephus 2-us 1786. die 18-va Aprilis in horum alumnorum intertentio-  
nem 1750 Rhsl. ex praedictis proventibus quolibet anno pendendos statuit. — Anno 1826. agi coepit, quod jam approbationem altissimo loco hoc anno retulit; ut alumni secundae Legionis ad 30 solum juvenes reducantur, et ex prima Legione aequa Valachica totidem recipiantur, ut adeo puri Vla-  
lachi limitanei 60 juvenes in hoc Instituto de-  
inceps alantur, et doceantur. Interim praeter hos alumnos ad frequentandas scholas extranei quoque admittuntur, non tantum limitanei, sed et alii hujus patriae filii, suis propriis sumtibus victuri.

Cum initio duae tantum Classes Nor-  
males fuerant erectae, anno 1785. accessit  
tertia, anno denique 1824. erecta est 4-a  
Cassis. Traduntur cognitio prima litera-  
rum tum noscendarum, tum formandarum,  
Doctrina Christiana, linguae Germanicae  
praecepta, et Syntaxis, tum Arithmeticā, et  
huius affinium scientiarum principia, Geogra-  
phia, Statistica, et Historia, exercentur  
praeterea in arte militari, ut promptissimi

prodeant Subofficiales, Scribae, et alia Legioni proficua subjecta.

Quantum Institutum isthoc Legioni profuerit, vel inde colligere facile quisque potest  
1-mo. Quod communem illam huic Legioni laudem conciliaverit, quod ejus Subofficiales germanice loqui, legere, et scribe-re adeo bene sciant, ut vix credibile sit eos esse Valachos, ita Nova Viennensia jam 1789. 13. Novembris in hanc Legionem reflectebant. — Tum

2-do. Quod Institutum isthoc Officiales, sacros Praecones, Instituti Directores, Docentes, alios utiles Magistros, et Cantores suppeditaverit, suppeditetque constanter huic Legioni.

Non ingratam censemus rem Lectori nos facturos, si individua, in hac educatoria domo educata, utilem pro sua applicatione publicae rei operam navantia, recensuerimus, referemus itaque:

*I. Sacros Praecones cum eo spe-  
ctantibus Scholarum Rectoribus, et  
Cantoribus.*

D o m i n o s :

Demetrium Anton, Parochum in Naszód +  
Joannem Avacom, Parochum in Suts,  
Josephum Butta, Parochum in Ilva minori,  
Gregorium Bruta, Parochum in Gledin,  
Terentium Bogáth, Parochum in Mislocseny,  
Cyrillum Dunka, Capellanum in Naszód,  
Basilium Fetie, Parochum in Suplay,  
Danielem Fetul, Parochum in Zagra,  
Joannem Gallan, Parochum in Ilva majore,  
Joannem Hange, Parochum in Majer,  
Demetrium Jeremie, Capellan. in Rebrisora,  
Aventinum Illiesch, Parochum in Tyha,  
Georgium Kitul, Capellanum in Naszód,  
Antonium Kosbuek, Capellanum in Herdo,  
N. Kosbuek, Parochum in Herdo,  
Joannem Kornia, Parochum in Romuli ,  
Gabrielem Kandale, Parochum in St.Joseph,  
Maxentium Kretsun, Parochum in Makód,  
Blasium Moldován, Capellanum in Morereny,  
Danielem Mallay, Parochum in Lesch,  
Jacobum Majerian, Parochum in Nepos,

D o m i n o s :

Basilium Mojszil, Parochum in Rodna nova,  
Joannem Marosán, Capellanum in Rebrisora,  
Simeonem Madelean, Parochum in Rebra,  
Joannem Miron, Capellanum in Telts,  
Eleam Nizul, Capellanum in St.Georg,  
Georgium Pap, Parochum in Gaurený,  
Gerasinum Porkul, Parochum in Rodna,  
Florianum Pap, Parochum in Ragla,  
Joannem Pap, Parochum in Feldra,  
Gregorium Pap, Parochum in Rebrisora,  
Athanasium Pap, Capellanum in Salvá,  
Marianum Pavelia, Parochum in Salvá,  
Basilium Pap, Parochum in Magura,  
Joannem Pap, Parochum in Mititéj,  
Jacobum Pap, Parochum in St.Georg,  
Dominicum Pap, Parochum in Pojéni,  
Michaëlem Pap, Parochum in Nagyfalu,  
Pahomium Pap, Parochum in Bikis,  
Lucam Pavel, Parochum in Bisztritzá,  
Gregorium Rusz, Parochum in Morosány,  
Joannem Szinvel, Par. in Maros-Oroszfalú, †  
Jeremiam Szinvel, Capellanum in Zagra, †  
Alexium Szinvel, Capellanum in Zagra,  
Joannem Schotropa, Parochum in Majer,  
Pantelemonem Ursu, Parochum in Zagra, †

D o m i n o s :

Stephanum Vrásmásch, Parochum in Prund,  
Joannem Vursich, Capellatum in Makkod,  
Petrum Vararian, Parochum in St.Johanne.

Personale Scholasticum Normale con-  
stituentes.

a) *Directores.*

Nicolaum Fetie, Directorem Scholarum Nor-  
malium in Orláth,

Ernestum Istrate, Directorem Scholarum  
Normalium in Naszód.

b) *Normales Magistros.*

Constantinum Georgitza, 2. Classis,

Joannem Marian, 4. Classis, Presbyterum  
saecularem,

Simeonem Nestutze, 3. Classis.

c) *Triviales Magistros.*

Gregorium Beschán, in 1. Legione Valach.

Cyrilum Cracana, d-o d-o

Nicolaum Kotrus, in 2. Legione Valachica,

Sebastianum Pap, in quiete,

Basilium Pap, in 2. Legione Valachica,

Simeonem Rusz, in 2. Legione Valachica,  
Jacobum Szinvel, d-o d-o  
Basilium Szutsia, in 1. Legione Valach. †  
Gregorium Ursu, d-o d-o †  
Joannem Zagrian, d-o d-o †

*d) Cantores.*

Joannem Mafteoe,  
Moysem Niamtz,  
Joannem Turkul,  
Georgium Lázár,  
N. Pavelia — et plures alios.

NB. Quibus signum cruceis est subjectum, in  
Domino obdormiverunt.

*II. Officiales in Instituto educatos.*

*a) Supremum Vigiliarum Praefectum*  
primum actu fungentem, Dominum Macedon  
Pap, de Kis-Falú.

*b) Capitaneos.*

*D o m i n o s:*

Georgium Berar, ex Nagy-Falú,  
Danielem Gallan, ex Naszód,  
Basilium Pap, ex Bikis,  
Gabrielem Pujka, ex Kis-Sajó,

D o m i n o s :

Mathaeum Pap, ex Bikis,  
Philemon Raglán, ex Oláh-Budák,  
Paulum Reu, ex Rusi-Borgo,  
Niceforum Scharda, ex Rebrisora — qui for-  
titer belli aleam sustinentes, partim in  
acie, partim ad suos lares reduces obiere,  
Michaëlem Pujj, ex Monor, actu fungentem.

c) *Primarios Locumtenentes.*

D o m i n o s :

Athanasiūm Androne, ex Naszód,  
Paramon Androne, ex Naszód,  
Christianum Botta, ex Ragla,  
Nicodemum Bobb, ex Majer,  
Danielem Brátz, ex Zágra,  
Theodorum Botta, ex Nagy-Falú,  
Georgium Dothie, ex Feldra,  
Pantelemon Gabriel, ex Naszód,  
Danielem Illyés, ex Majer,  
Onissionem Kardan, ex Rodná veteri,  
Stephanum Sellegian, ex Parva — qui post  
exantlatos belli labores, aut inter hos  
vita functi sunt,  
N. Cseuka, ex Salva,  
Gabrielem Papp, ex Bikis,

D o m i n o s .

Basilium Papp, ex Rebrisora,  
Leonem Papp, ex Bikis,  
Mathaeum Motz, ex Zágra,  
N. Munzáth, ex Borgo — actu fungentes,  
Georgium Illyés, ex Majer, amissa oculo-  
rum acie quiescentem,  
Jacobum Mováry,  
Antonium Vararian, ex Kis-Falú — pen-  
sionatos quiescentes.

d) Locumtenentes.

D o m i n o s :

Gabrielem Botta, ex Ragla,  
Simeonem Botta, ex Ragla,  
Danielem Borcotsel, ex Gaurenay,  
Joannem Dodie, ex Makkod,  
Davidem Damide, ex Rodná,  
Joannem Mihaillásch, ex Kis-Sajó,  
Basilium Stephani, ex Lesch — actu etiam  
fungentes,  
Georgium Bokesch, ex Naszód,  
Theodorum Corbul, ex Zágra,  
N. Kirkul, ex Rebrisora,  
Bartholomaeum Rosch, ex Feldra,  
Demetrium Todiky, ex Lesch — vita functos,

D o m i n o s :

Petrum Bloka , ex Monor ,  
Jacobum Niamtz , ex Feldra ,  
Alexandrum Runkan , ex Oláh-Budák ,  
Georgium Vararian , ex Maros-Orosz-Falú  
— qui post toleratos belli labores pen-  
sione provisi quiescunt.

e) *Vexilliferos.*

D o m i n o s :

Demetrium Drágán , ex Monor — cum pen-  
sione ad quietem depositum ,  
Georgium Gandor , et  
Andream Stephani , ex Naszód — vita jam  
functos.

Praeter hos ex eodem Instituto pluri-  
mi alii Subofficiales , alii in Cancellariis Re-  
giminum ulteriore promotionem expectan-  
tes sunt.

VIII.

Quod porro Legionis hujus res bello  
gestas , fata , et vicissitudines attinet : haec  
e protocollo ejusdem excerpta , succinte in  
unum redacta huc recidunt :

a) 1772. adeoque octavo ab erectione anno D. Generali Rall Regimen hoc visitanti *Artilleristarum* in arte sua probata doctrina *gestus*, et *centritangentia* adeo placuit, ut sex eorum, utpote *Juon Pap Grigore*, ex Kis-Falú, *Juon Boschota*, ex Runk, *Roman Strimbu*, ex Majer, *Ursu Galbin*, ex Rebrisora, *Juon Oane*, ex Sancto-Georgio, *Juon Dragan*, ex Gledin, monetis argenteis ornaverit. Interimalis vero Regiminis Commendans D. Vice-Colonel-lus Schlaun, propriae suae mensae accumbere jussos epulis exceptit.

b) 1779. in bello Borussico Regimen ad Troppau constitutum, praeeunte Capitaneo Halmágyi, hostem vicit, fugavit, et ejus castra occupavit, et cum Dii gratis vendant nihil, victoriaeque sanguine fuso reportentur, complures vulnerati, nonnulli caesi ex ipsis etiam Valachis fuere.

c) 1788. erumpente bello Turcico, valida haec Legio 3420 armatos numerans, sub moderamine D. Colonelli Heydendorf mense Februario in Bucovinam egressa, mense Martio in Moldaviam irruptit, et ad metropolim Jassy processit, cum hoste ad *Du-*

*ruckan Foltischan, Baja Butoschányi, et Larga* conserta manu peculiari virtute eni-  
tuit, perinde mense Julio ad *Horláu*, men-  
se Septembri ad *Adschud* inclaruit. Non  
minori laude sustinuit belli aleam 1789. ad  
*Valia Mueri* in *passu Firzburgensi*, men-  
se Octobri in Valachia ad *Kimpulung*. An-  
no 1790. mense Majo D. Commendante Co-  
lonello Barone a *Kray* versus arcem *Turn*  
ad *Nicopolim* divertente, Centuria sub Lo-  
cumtenente *Scharda* credita, ex pago *Me-*  
*gurelle* copiam victualium procuravit exer-  
citui. Mense Junio ad arcem *Györgyü* tria  
agmina exercitus caesarei ab hoste circum-  
venta, 2-dae hujus Legionis in forma qua-  
draturae oblongae (en Quarre oblong) cele-  
riter accurrentis virtute suat praesentissimo  
periculo erepta. Hac occasione Corporalis  
*Juon Butta* ex Mischloesen, Capitaneum  
*Zwillach* e manibus sex Turcarum, qui eum  
ceperant, his partim caesis, partim saucia-  
tis, partim in fugam actis, liberavit; in cu-  
jus heroicae virtutis proemium argenteo nu-  
mismate est honoratus.

Ob praeclara facta ad *Gyergyiu* com-  
missa, Vigiliarum Magistri *Despot*, et *Bobb*

*Daniel aureo, Gregarii Pentelej Holotsa,*  
*et Joannes Skridon, una cum Vice-Corpo-*  
*rali Demetrio Schuka, argenteis numisma-*  
*tibus sunt donati.*

Legionis hujus in bello Turcico con-  
testatam veram Martialem virtutem Nova  
Viennensia de 13-tia Novembris 1789. in se-  
quentibus posteritati consignatam tradide-  
runt: *Dummodo 2-um Regimen pedestre*  
*Limitaneo-Valachicum Transylvaniae oc-*  
*casionem nanciseretur plena bellicae suae*  
*fortitudinis specimina exhibendi, usque re-*  
*ceptum hujus Regiminis symbolum: Vir-*  
*tus Romana rediviva, in hac Natione,*  
*verum, et indubium comperiremus.*

Pace Sistoviensi 1791. mense Augusto  
confecta, mense Septembri proprios repe-  
tiit penates, ubi vix annum exigentes, jam  
contra Gallos movere jubentur; unde

d) Anno 1793. die 9-na Martii pha-  
lanx prima (Batalion) ducente *Domino Vi-*  
*ce-Colonello Stojanich* itineri se accingit,  
atque ad exercitum juxta Rhenum constitu-  
tum disponitur, quare sequentibus intersuit  
pugnis:

*a a)* 27-ma Augusti 1793. ad montem *Zabern*, ubi Capitaneus *Kálliani* cum sua Centuria magnam hostium vim fortissime reprimendo, cum 12 suorum gloriose occubuit.

*a b)* Eodem anno mensis Septembris diebus 11. 13. et 14-ta in valle *Bundenthal* primarii Locumtenentes *Berar*, et *Kaup*, tam in oppugnandis et occupandis propugnaculis, quam in liberandis e hostium manibus reducis sub 14-ta Septembris Siculicae phalangis tormentis se peculiariter distinxerunt, Sublocumtenente *Vitéz* cum 18 militibus inter pugnandum occumbente, Capitaneo vero Carolo Richter cum 6 militibus in captivitatem abducto.

*a c)* 13-tia Octobris, dum linea *Weisenburgensis* occuparetur, primarius Locumtenens *Gratze* cum voluntariis propugnacula ad montem *Zabern* oppugnata occupavit, Sublocumtenens *Berar* cum Jaculatoribus primus in arcem *Weisenburg* irrupt — 26-ta Octobris e sylva *Strassburgensi* primarius Locumtenens *Gratze* hostem expulit, Vexillifer *Gallan* vero cum suis Jaculatoribus (Schützer) hostem invasit, strageque affecit, qua occasione Capitaneus *Mon-*

*tag*, primarii Locumtenentes *Czechaczek* et *Kray*, Sublocumtenens *Schmidt*, et Vexillifer *Galan*, cum 95 suorum vulnerati sunt.

*a d)* 18-va Novembris in sylva *Krauder-Wald* ad Strassburg primario Locumtenente *Scharda* fortiter hosti resistente, cum 18 suorum vulnerato, 11 individua in pugna cecidere.

*a e)* 12-a Decembris in sylva ad *Hagenau* phalanx haec adeo fortiter se gessit, et inter ceteros Sublocumtenentes, *Berar*, Vexilliferi *Itul* et *Dévay* ita inclauerunt, ut a supremo hujus exercitus Præfecto *Wurmer* scripto laus eis significata fuerit.

*a f)* Anno 1794. 23-tia Maji ad Civitatem *Schifferstadt* oppugnatione propugnaculorum inclaruere Capitaneus *Hertziny*, et Sublocumtenens *Papp*, qui cum 155 individuis vulnerati, 11 vero in pugna cæsi sunt.

*a g)* 29-a Maji, et 2-a Julii ad *Schwiegerheim* et *Frayspach* palmam retulit primarius Locumtenens *Scharda*, cum voluntariis, hostem ex Urbe *Frayspach* exturbando; hac occasione 7 milites occubuerunt, 52 vulnerati sunt, 2 vero iu captivitatem abducti — *Georgius Illyés* Vexillifer, qui

in utroque loco personali sua audacia , et animi praesentia inter Jaculatores peculiari-  
ter se distinxit, argenteo numismate conde-  
coratus est.

*a h)* 16-ta , et 24-ta Augusti ad *Mun- denheim* ante *Valla Rhenana* primarius Locumtenens *Marincovich* cum 14 individuis vulneratus est, 4 occubuerunt, 27 in capti- vitatem inciderunt; hac occasione Capitaneus *Pfeiffer*, et primarius Locumtenens *Marin- covich* , captum jam ab hoste munimentum unum ad *Mannheim* recuperarunt, hostem- que ultra *Mundenheim* fugarunt, unde ab exercitus Duce Serenissimo *Principe Albrecht* scripta laus ea cum declaratione missa , quod tum Capitaneo , et primario Locumtenente praedictis , tum vero omnibus , qui ex pha- lange hac Valachica se distinxerunt, singu- lares agat gratias , et eos clementiae Caesa- reo-Regiae commendare obstrictum se sentiat.

*a i)* 1-ma Decembris ante *Mainz* et *Tahlbach* , 20. 22. et 29-na ante *Mainz* et *Hartberg* ducente Vice-Colonello *Stojanich* , duo munimenta tormentis instructa ab hoste occupata revindicavit , hostis ipsius in fu- gam acti tormenta in suam potestatem rede-

git; in hac pugna Vigiliarum Magister *An-*  
*drath* cum 5 sociis cecidit, et Locumtenens  
*Banouszky* cum 42 suorum vulnerati sunt.

*a k)* Ad *Welmichense* propugnaculum 20-ma Septembris 1795. primarius Locumtenens *Scharda*, Locumtenens *Karp*, et Vexillifer *Gramä* cum una centuria ab hoste circumventi, et ab exercitu Caesareo sejuncti stratagemate usi, exiguo, trium quippe militum cum detimento, e hostium manibus se eripuerunt, et ad suam phalangem reversi sunt.

*a l)* 12-a Octobris 1795. ad *Geiszheim*, 10-ma Novembris in sylva *Bingenwald* et *Stremburg*, cum posteriori conflictu primarius Locumtenens *Scharda* cum sua centuria hostem ex loco *Vormsroth* dimovit, et fugavit, 5 milites occubuere, Locumtenens *Itul*, et Vexillifer *Mossery* cum 53 militibus vulnera accepere, Locumtenens *Banouszki* cum 25 in captivitatem hostium incidit.

*a m)* 15-tia Novembris ad *Drechlingshausen*, 26-ta Novembris in sylva *Bingen-si*, et 30-ma Novembris ad *Bingen*, penes fluvium *Nou* 5 viri occubuere, Locumtenens

*Trautman*, et Vexillifer *Gramma* cum 37 individuis sauciati sunt; Primarius Locumtenens *Scharda* autem cum sua centuria custodiam levi cornu exercitus hostilis reprehendo, exercitui nostro viam, tempusque per flumen *Nou* trajiciendi aperuit — 17-a Decembris in pugnis ad *Ohlenberg* et *Bachrach* commissis constituta phalanx haec se egregie gessit.

*a n)* Die 1-ma Junii 1796. ad sylvam *Sonnenwald*, et 20-ma Julii ad *Sorgheim* constituta phalange, 5 viri occubuere, et 66 vulnera accepere, ad *Ohlenberg* et *Bachrach* primarius Locumtenens *Scharda* cum sua centuria, et Locumtenens *Berar* cum Pyrobolariis hostem vehementissime aggressi, ad seram usque noctem persecuti sunt.

*a o)* 10-ma et 20-ma Augusti ad *Sulzbach* et *Wolfung* phalanx haec ea cum fortitudine restitit hosti, ut Campi Mareschalli Locumtenens *B. Kray* tum *Officiales*, tum gregarios milites, scriptis ad eos datis ordinibus, cum gratiarum actionis significatione laudare non dubitaverit. — Interim 41 in acie exanimes manserunt, 185 sauciati, 28 in captivitatem lapsi.

*a p)* Die 1-ma Septembris ad *Schwarzfeld*, 5-tia vero in progressu (Avancieren) ad *Sulzbach*, 10-ma autem ad *Aschaffenburg* Locumtenens *Berar* cum Pyrobolariis in prima acie ultra 600 hostium armatos intercepit, nostrorum 55 vulneratis.

*a q)* 12-a et 16-ta Septembris ad *Limbburg* una Divisio munimenta ad *Lahn* constituta expugnavit, et occupavit, Capitaneo *Reiszinger* cum 52 occumbente, Vice-Colonello autem *Stojanich* cum Capitaneo *Gréth*, primario Locumtenente *Donáth*, et Locumtenente *Ittul* cum 67 Gregariis vulneratis; ob quod Archi-Dux Carolus, supremus exercitus Dux, sequens Decretum edidit: „Po-  
„stequam in defendenda Civitate *Limbburg*,  
„ubi tota Valachica phalanx 16-ta hujus  
„rem magna cum fortitudine gessit, Vig-  
„iliarum Magistri *Mayer* et *Cabalini* singu-  
„lariter se distinxissent, hinc duobus his  
„Vigiliarum Magistris numisma argenteum  
„concedendum duxi — Hundsaugen 18-va  
„Septembris 1796.

Archi-Dux Carolus.

*a r)* Mense Octobri haud longe ab *Alt-kirchen*, primarius Locumtenens *Lenk* insi-  
gnis-

gniter contra hostem pugnando, cum 11 suorum vulneratus est.

*a s)* 1799. 21-a Martii ad *Phullendorf*, et 24-a ejusdem ad *Ach* et *Egen*, non procul a *Stockach* in progressu 13 viri occubuerunt, Capitaneus *Aradi* cum 72 militibus vulneratus, Locumtenens *Cabalini* cum 35 suorum in captivitatem abductus fuit.

Hac occasione Capitaneus *Lenk* et *Schwind*, et Locumtenens *Cabalini* hostem insigniter persequentes, fortitudine sua inclaruerunt: — 25-a Martii in eodem loco commissa pugna 46 milites occubuerunt, primarius Locumtenens *Berár*, Sublocumtenentes *Deák* et *Orescovich* cum 150 militibns vulnerati sunt.

*a t)* 5-a Aprilis ad *Friedberg*, 6-a Novembris ad *Koksheim* et *Brundsmal*, 8-a Novembris ad *Mingolsheim*, 16-a ejusdem in arce *Mingolsheimensi*, 1-a Decembris rursus ad *Koksheim*, in his proeliis 9 individua cecidere, et 62 vulnera accepere; — 5-a Decembris ad *Visloch* 24 individua sunt occisa, 118 vulnerata, via vero Regia per Capitaneum *Aradi* egregie est defensa.

a u) 26-a Maii 1800 ad *Ehrbach*, 2-a Junii ad *Bibrach*, 12-a Junii ad *Roth* hic Capitaneus *Lenk* cum sua centuria ea fortitudine hostem impetiit, ut cedere coactus sit — in hac pugna 14 milites sunt occisi, Capitaneus *Lenk*, primarius Locumtenens *Harting* cum 87 individuis vulnerati, primarius Locumtenens *Zdelarovich* cum 25 individuis in captivitatem devenit, 15-a Junii ad *Cell* 12 viri occubuerunt, 94 sunt vulnerati, Capitaneus *Zwilach* cum 27 militibus in captivitatem incidit.

a v) 1800. die 1-a Decembris ad *Obach*, haud procul a *Regensburg*, et 23-a ejusdem ad *Grünlach*, non procul *Nürnberg*, et quidem in priori loco agentibus Jaculatoribus, ducente Locumtenente primario *Itzul*, hostis cedere coactus, 650 suorum in manibus nostris reliquit captivos — nostrorum 15 viri ceciderunt, 45 vero una cum Sublocumtenente *Mikich* vulnerati sunt.

e) 1796. 9-a Septembris secunda phalanx ad Italicum exercitum disponitur sub regimine supremi Vigiliarum Praefecti *Comitis a Woestenradt* — 1799. vero ad Rhe-

nanum exercitum venire jubetur; interea vero sequentia proelia subiit:

b a) 30-a Octobris 1796 ad fluvium *Piave Venetiarum* centuriam Capitanei Petri Méhesi de Kis-Bun, in accinctu constitutam, 2,000 Galli sunt adgressi, quorum impetum ab 8-a matutina usque 2-am pomeridianam prudenti Capitanei directione ea cum fortitudine sustinuit, ut non tantum locum retinuerit, verum numerosum quoque hostem cedere coegerit; cuius rei spectator D. Generalis *Liptai* pro tanta tum Officialium sapienti directione et promptitudine, tum militum constantia et fortitudine, publice complacentiam ipsis contestatus est — in hac pugna 7 milites caesi, 15 vero vulnerati sunt.

b b) Diebus 15-a, 16-a, et 17-a Novembbris ad *Areda Venetiarum* immota constantia, intrepida audacia, ac vera heroicā fortitudo phalangis hujus enituit, dum hostium capiti ipsi *Bonaparte*, exercitum suum ducenti, continuis his tribus diebus a luculo matutino usque vespertinum ea constantia et fortitudine restitit, ut et locum castrorum suorum teneret, et insuper 350 hostium individua caperet, Capitanei *Nemes*

et *Méhesi* in hoc proelio sua animi praesentia, et militum animatione rei bene gestae plurimum contulerunt. Capitaneus *Wagner* cum 135 militibus occubuit, Capitanei *Nemes*, *Méhesi*, et *Karvath*, primarius Locumtenens *Schmidt* et *Bobb*, Vexillifer *Reou*, et 653 milites vulneribus affecti sunt, Capitaneus denique *Lange* cum 45 suorum in captivitatem hostium devenit. Laudari hic adhuc meretur Vexillifer *Reou*, Vigiliarum Magister *Gabriel*, Führerius *Hertzeg*, qui pontem constanter insigni cum fortitudine contra hostem tuiti sunt.

Rem strenue gestam, egregiumque hujus phalangis robur et constantiam, in horrendo hoc tribus diebus cum amissione 395 militum continuato proelio contestatam, Excellentissimus Dominus Commendans Generalis B. Alvintzi publice laudavit, imo quod majori gloriae huic phalangi cedit, ipse Generalis *Bonaparte* in sua ad Directorium data relatione, contestatam phalangis hujus animi constantiam et fortitudinem vehementer admiratus est, illam namque hostis intentionem, ut custodia hac prostrata, no-

stros a tergo aggrediatur, martiali sua resistentia evertit.

*b c)* Diebus 16. et 17-a Januarii 1797. ad *Rivoli*, et *Monti Baldo Venetiarum*, phalanx haec duo propugnacula hosti eripuit, in hac pugna 17 viri caesi, Vice-Colonellus, et phalangis Commendans Comes a *Woestenradt* peculiari virtute in hac pugna enitens, cum Capitaneo *Remetei*, primario Locumtenente *Bolinth* et *Dévay*, ac 45 militibus est vulneratus.

*b d)* Diebus 12-a et 15-a Martii in loco *Graubünden* commissa pugna Capitaneus *Lange* cum 35 suorum e medio sublatus est, et 56 vulnera acceperunt.

*b e)* Die 30-a Augusti 1799. ad *Zuska* prope Pedemontium (Pie monte) 7 viri caesi, primarius Locumtenens *Rechland*, et 12 milites sauciati sunt.

*b f)* Mense Julio 1800. cum eruptione e Civitate *Ulm* suscepta, Vexillifer *Barb* cum 5 militibus occubuit, 15 vero milites vulnera accepere.

*f)* Die 30-a Septembbris 1796. tertia phalanx ex Iustra, Sabesii in Transylvania instituta, celerrimo pede ad exercitum in

Italia constitutum progressa , 15-a Novembris metam attigit , ac sub moderamine D. supremi Vigiliarum Praefecti *Boháts Martis* aleam in sequentibus pugnis tentavit , utpote :

c a) 16-a et 17-a Novembribus ad *Albarredo* primos hostiles impetus sustinuit , unum tormentum , et unum currum munitionalem hosti praeripuit , in hoc proelio 12 obierunt , 44 vulnerati , 14 vero per hostem capti sunt.

c b) Die 14-a Januarii 1797. ad *Rivoly* Capitaneus *Remetei* graviter sauciatus , primarius Locumtenens *Dévay* contusione affectus , 13 viri vivis sublati , 37 vulnerati , 18 vero capti sunt. Martialis virtus hujus phalangis in hac pugna probata , publicam complacentiam Serenissimi Principis , et exercitus Commandantis Henrici a Reus 15-ti retulit , ut subjuncti Testimonii tenor testatur : *Vi Officii me obstrictum sentio tertiae phalangi Transylvanico - Valachicae , moderamini Domini supremi Vigiliarum Praefecti Boháts creditae , attestari , quod eadem una cum alia phalange Valachica sub directione Domini supremi Vigiliarum Praefecti Comitis a Woestenradt consti-*

*tuta, in proelio Rivolyensi, mense Januari 1797. commisso, non solum in occupandis ibidem constitutis propugnaculis, sed etiam in recto, et sub vehementissima scloporum hostilium ejaculatione in proxima suprafati propugnaculi distantia redintegrato ordine strenuam, egregiamque suam virtutem exhibuerint, imprimis vero Dominus supremus Vigiliarum Magister Boháts personali sua promptitudine, et militum excitatione, indefessoque labore in hanc rem plurimum contulerit, quod ipsum attestandum et confirmandum vi Officii duxi, Görz 7-a Januarii 1797.*

Henricus 15. Princeps Reus,  
Campi-Mar. Locumten.

c c) 31-a Januarii in reditu ad locum Cavalese dictum, ac in valle Flamesevensi situm, item occasione ulterioris per juga montis Penzer ad Sterzing in Tyrolim suscepti progressus, phalanx haec 47 militum jacturam pati debuit ideo, quod hi ob statum valetudinarium, et defectum virium, in aspero itinere tardi, in hostium manus devenerint.

c d) Die 2-a Aprilis ad sylvam *Mittelwald* cis *Sterzing* sitam Vexillifer *Schupp* cum 6 viris e medio sublatus, primarius *Lolumtenens* *Wegetzky* vulneratus et captus, Vexillifer *Wilöz* cum 25 suorum sauciatus est, 28 vero quo devenerint, ignoratur, quod autem phalanx haec hac etiam occasione nihil, quod ad egregii militis, verique herois partes pertinet, intentatum reliquerit, bina, quae sequuntur, Testimonia evincunt, quorum primum hujus est tenoris:

*Quum Dominus supremus Vigiliarum Praefectus Boháts cum sibi credita tertia phalange Transylvanico-Valachica in cunctis cum hoste conflictibus, imprimis vero secunda Aprilis a. c. ad sylvam Mittelwald dictam, in conspectu totius exercitus realia praestiterit servitia, et insignia suae prudentiae et fortitudinis documenta dederit — obligatum me agnosco Domini num supremum Vigiliarum Praefectum, et integrum Officialium Chorum, atque universam hujus phalangis militiam de gratiosa Domini Campi Mareschalli Lolumtenentis Baronis a Kerpen complacencia certos reddere, eo addito: quod ego*

*nihil ardenter exoptem, ac honorem, eumdem praetitulatum Dominum supremum Vigiliarum Praefectum, ejusque phalangem strenuam sub meo regimine habendi.* Niederndorf 27-a Junii 1797.

B. Wukassowich,

G. M.

Alterum Domini Campi Mareschalli Locumtenentis Kerpen, Tridenti 17-a Julii 1797. datum, huc recidit: *Tertia phalanx Valachica sub regimine Domini supremi Vigiliarum Praefecti Boháts constituta, quamdiu meis copiis conjuncta fuit, se omni occasione, ut strenuos belligeros decet, exhibuisse, cuius rei singularia specimina dedit in proelio 2-a Aprilis an. c. inito, ut non obstantibus variis adversitatibus, et inimicis tempestatibus, indefesso fervore, et summa audacia se distinxisse testor, prout etiam super strenua Domini phalangis Commandantis, ejusque Dominorum Officialium cooperatione, plenam meam, et indubitatam fiduciam, et animi complacentiam hisce notam facio.*

c d) Dies 6-us Martii 1799. in fastis aterrimo colore notandus vel apud barbaras gentes quoque veniret, multo magis ergo apud cultas nationes ex eo, quod contra omne jus belli, absque ulla armistitii renunciatione, et belli denunciatione hostilium Dux *Massena* copias Domini Generalis *Baronis ab Auffenberg*, in loco Kuhr constitutas, intermedio tempore induciarum nihil hostile metuentes, ex improviso sit aggressus, unde Caesareus Generalis fortiter resistens, confusis postremo ordinibus cum suis copiis in hostium manus devenit, quare 12-a et 15-a Martii tertia haec phalanx hostis insidias subire coacta, etsi fortiter se defendisset, 25 tamen militibus in acie amisis, 40 vulneratis, ipso phalangis Praefecto equum, cui insidebat, amittente, multitudini hostium amplius resistendo impar, confusa in captivitatem devenit.

c e) Die 15-a Julii 1799. phalanxis tertiae Commandans supremus Vigiliarum Praefectus Boháts cum potiori parte Officialium e hostili captivitate liberatus, recollectis suis militibus 15-a Augusti Praelatura *Wieblingensem* ad Ulmam sitam occupavit.

c f) 10-a Octobris Turinum Pedemontii (Pie mont) venit, ubi et 2-a et 3-a phalanges instauratae , et 20-a Decembris lustrae.

c g) 22-a Decembris accepto mandato militia haec ad Rhenanum exercitum progreditur , et 14-a Februarii anni 1800. ad *Hilertisch* in Sveiam pervenit.

c h) Die 9-a Junii 1800. phalanx tertia una equitum cohorte stipata , erupit ad demolienda valla , per hostem cis Oppidum *Offenhausen* effossa , quod dum felici successu effectui darent , supremus Vigiliarum Praefectus vulneratus , tres milites , et duo equi ab hoste capti.

c i) Die 1-a Decembris in proelio ad *Obbach* primarius Locumtenens *Tonts* cum una Pyroboliorum divisione egregiam felici conflictus successui operam dedit , uno Officiali , et 54 militibus hostium captis.

c k) Die 2-a Decembris pone *Lehnfeld* divisio una phalangis cum Jaculatoribus hostem invadit , et ad cedendum compellit , proelio tres horas continuato , hostis per sylvam fugatus , ex uno agminis Commendante , 22 Officialibus , et 870 Gregariis con-

stans, victas dedit manus, nostris 8 mortuos, et 13 sauciatos numerantibus — ob rem praecclare gestam Dominus Campi Mareschalli Locumtenens *Comes a Klenau* suam complacentiam generosae huic phalangi palam contestatus est.

c l) 18-a Decembris in ultima pugna ad Feucht inita 5 mortui, 19 vulnerati sunt, et 8 in captivitatem devenere.

g) Limitaneae Pyrobolariorum phalangi 1795. erectae usque 1796. praefuit Capitanus *Boháts*, deinde *Franciscus Richter*, quibus ducibus in sequentibus pugnis laudem retulit:

d a) Die 25-a Martii 1795. in Tyroli in pugna *Tauffersensi*.

d b) A 10-a usque 22-am Julii 1799. durante expugnatione *Alexandriae*.

d c) Die 15-a Augusti 1799. in celebri proelio *Noviensi*.

d d) 2-a et 3-a Decembris 1799. in obsidione *Cunionensi*, *Genuensi* et *Mantuana*.

h) Die 15-a Februarii 1801. confecta pace tota militia in sua Regimina redacta, ad concorrentes suas pacatas stationes disposita, et Legio haec suos repetiit finitimos

Lares — quos postquam per Claudiopolim mense Junio 1801. transiens , ab Illustrissima Comitissa Susanna Nemes, Com. Joanne Halleriana vidua , aliisque Magnatibus lautis epulis excepta fuisset , laeta cum rite expletarum officii sui partium conscientia , eodem mense salutavit.

Individua hoc bello argenteis numismatibus ob singularem virtutem donata sunt haec : Vexillifer *Georgius Illyésch*, et *Georgius Doke*, Corporalis *Onesym Kárdan*, Vice-Corporalis *Ignatius Onischor*, *Michaël Bondrich*, *Vasilie Drágán*, *Theodor Alexa*, et *Joannes Botta George*.

Jactura , Legioni bello Turcico illata 1218 — bello Gallico vero 1534 individua constat.

i) Quiete quatuor annorum refectae Legionis hujus phalanges , 15-a Augusti 1805. ad *Borgo* , *Sosseny* et *Salvam* congregantur , et exercentur , urgente vero novi erumpentis belli necessitate , duae earum 22-a Augusti extemplo itineri in bellum suscipiendo mandantur , et accelerato cursu 12-a Septembbris ad praescriptam metam pertigerunt , altera ad *Oenum* fluvium prope *Was-*

*serburgum*, altera ad *Amphing*; cum autem ingens hostium vis exercitum nostrum in omnibus suis punctis interea repressisset, adeoque sors belli jam decisa fuisse, nulla his cum hoste conferendi facta est notabilis copia. Ceterum 26-a Septembris ad *Wasserburgum*, dum hanc Civitatem inter, et *Orenburg Oenum* fluvium hostis trajiceret, 2-a phalanx unum Marti, et 28 captivitati datos amisit, prima phalanx vero ad *Postenheim*, dum hosti transitum cederet, unum Marte absumtum, et 5 sauciatos numeravit. Cum hoc defectu ad pacis quarteria dislocatae 4-a Januarii 1806, 8-a ejusdem mensis in Patriam redeundi iter aggressae, 28-a Februarii suos Lares salutarunt.

Inter haec anno 1805. mense Septembri Legionis hujus Colonellus *Devchich*, generalis Vigiliarum Praefectus, Vice-Colonellus *Szécsén* ex prima Legione Siculica, Colonellus secundae Legionis Valachicae, supremus Vigiliarum Praefectus *Gratzé*, Vice-Colonellus primae Legionis Siculicæ, Capitanei vero *Petrus Méhesi*, et *Kraiter*, Vigiliarum supremi Praefecti in sua Legione secunda Valachica sunt creati.

Neopromotus supremus Vigiliarum Praefectus *Traiter* Praefecturam circularem Regiminis suscipit, et multis, industrium, promtumque hominem requirentibus negotiis se subjicit, nam praeter eductas duas in campum Martis phalanges: Claudiopolim, Bisztricum, Albo-Carolinam, Marus-Vásárhely, et limites praesidio e militibus sibi subordinatis constanter providere, et de bona limitanearum familiarum subsistentia prospicere debuit, tempore plane huic intentioni apposito; copia enim pluviarum et nivium segetes madefecit et opperuit adeo, ut messor nonnisi disjectis altis nivibus spicas colligere, et in manipulos congerere potuerit, foenum majori in parte corruptum, et fagopyrum aequa madidum semi-corruptum colligi debuerit. Hujusmodi metheorica phoenomena, etsi saepius Distictum hunc alpestrem, et ad Septemtrionem situm vexent, nunquam tamen tantis, quantis hoc anno, affecerunt malis.

*k)* Exortis Polonicis motibus, vix tribus annis respirantis Legionis phalanx, curae supremi Vigiliarum Praefecti *Kraiter* credita

e a) 28-a Februarii 1809. itineri se accinxit, ac 9-a Aprilis *Cracoviam* pertigit, ubi per Dominum Generalem Vigiliarum Praefectum et Brigadirium *Barnovatzky* in vicinia arcis locata, a Sua Celsitudine Regio Archi-Duce Ferdinando revisa, et tum ab ordine, tum ab instructione laudata est. Die 14-a primum Aprilis 1809. in castris inter *Adzovile* et *Vizokin* locatis per Serenissimum Regium Archi-Ducem Ferdinandum contra Gallos, et horum confoederatos denunciato bello castra translata sunt ad *Xares*, in limitibus Warschoviensibus.

e b) Die 17-a Aprilis 1809. ad *Pietrikotzi* equitatu Caesareo in Polonicos Ulanos irruente, acriter dimicatum est. Jaculator *Darie Roska* ex Pojeny, unum equitem captum Archi-Duci Ferdinando praesentavit, cuius complacentiam hoc egregio facto retulit.

e c) Die 19-a Aprilis obsidio metropolis *Warschoviae* erat proposita, unde phalanx haec dextrae exercitus obsidentis parti auxilium latura, per *Tarzin* Favoroium procedebat, et una cum prima phalange Valachica in ordinem redacta, hostium tormentis

tis exposita , uno tantum Gregorio diminuta , vim hostilis aggressionis 26-a Aprilis hora 1-a nocturna est experta ; — nam Generalis hostium Polonus *Kamentzky* precedentem hanc Legionem in sylva aggreditur , exortoque clamore , eidem duae cohortes , Duce primario Locumtenente *Illich* , opponuntur , invalescente igne aliae duae , ducente Vexillifero *Morár* , praemittuntur , quae usque 4-am horam matutinam immotae hostium impetum sustinuerunt , cum jactura unius caesi , et 9 vulneratorum .

Hora 4-a matutina hostis , quo instauratis viribus , tormentisque auctus , majori cum impetu nostros invaderet , paululum pedem retrahit , 6-ta hora matutina ceteram ante Pragam constitutam a tergo invasurus , tanto robore pugnam instaurat , ut centuria , primario Locumtenenti *Illich* , et Vexillifero *Morár* credita , ei fortiter resistens , ob ignota loci adjuncta usque ad primas aedes Radzimirienses repressa , hosti , per aditus ignotos impetus suos renovanti , viribusque praevalenti sufficere nequiverit . Vexillifero *Morár* capto , primarius Locumtenens *Illich* retento ordine , inter jacula-

tiones constantes usque frontem agminis se retraxit, quod dein integrum in ignem actum est, et tormentis, equitatuque destitutum, hostium vim usque 10-am matutinam horam sustinuit, suo loco haud dimovendum, si auxiliaticibus cohortibus instructum fuisset — unde accepto nuncio, quod supremus Hussarorum Caesareorum Vigiliarum Praefectus *Comes Hotitz* in laevam ab hoste sit repressus, pedem retrahere coactum — ob defectum praejuncturarum sauciatos a tergo relinquere debuit — imo internectionem ipsam, quam hostis facto in planicie procursu, intendebat, ope duorum Hussarorum, loci notitiam habentium, evitavit, et per sylvas, paludesque constanter dimicando, 12-a noctis hora ad reliquam cattervam, quae jam Praga se retraxerat, pervenit. — Officialium singularis prudentia, et militiae fortitudo in hac pugna inclaruit, dum tantum periculum declinare sciverunt. Primarius Locumtenens *Adamovich*, Vexillifer *Morár*, primarius Medicus *Ohr*, Submedicus *Wilhelm*, tum 169 milites in captivitatem inciderunt — Vexillifer *Tomich* initio statim vulneratus, dimissus est.

*e c)* Die 27-a Aprilis Regius Princeps Serenissimus Archi-Dux *Ferdinandus* suam huic agmini praealtam Complacentiam est contestatus, atque in hujus signum carnem et crematum singulis hujus agminis militibus gratis dandum jussit. — Primarius Locomtenens *Koppich* cum 50 limitaneis Jaculatoribus, sub imperio Domini generalis Vigiliarum Praefecti *Baronis Mohr* constitutus, in proelio ante Pragam inito, altissimam Complacentiam obtinuit.

*e d)* Diebus 16-a et 17-a Maji jaculis, seu sclopis, et tormentis regesta, Jaculator *Joannes Dragusch*, singularem virtutem probavit, Gallum quemdam, qui trans munimentum constitutus, jaculationibus suis multas propugnaculo molestias facessebat, ex ponte una et duos Polonos, globis ipsum impetentes, feliciter excusso globo prostravit — verum et ipse tormenti globo inter haec sauciatus, et a Domino generali Vigiliarum Praefecto *Barone Mohr* uno aureo donatus est.

*e f)* Minoribus impetibus hostilibus ad *Rava* et *Plotnice* 2-a et 10-a Junii superatis, 11-a ejusdem ad *Szolkoska-Wala* no-

straæ tres centuriae , et equitatus ter in hostem sumpto impetu 1,500 hostium partim occiderunt , partim sauciarunt , partim in captivitatem redegerunt , tormenta quoque aliquot hosti ademere — jactura nostrorum in uno mortuo , et 5 sauciatis consistente.

e g) Die 21-a Junii Dominus Vigiliarum Praefectus *Kraitner* cum tribus centuriis Valachicis , et una turma equitum Caesareorum ad explorandos hostium motus 4 horis praecessit , et ad *Konsky* hostium excubias impetens , minoribus conflictibus diutius detinuit , et fatigavit cum jactura 6 captivorum , et 2 sauciatorum .

e h) 11-a Julii phalanx isthaec ad *Xoncz* inter ultimas acies constituta , toto die sceloporum et tormentorum impetui exposita , sole inclinante , tandem cum equitatu in ignem usque seram noctem durantem acta est , 14-a Julii mane *Cracoviam* pertingens , in munimentis locata , ab inseguente hoste turbabatur , plures horas tormentis ab utraque pugnante parte constanter quassata Urbs tandem Russis cessit .

e i) 30-a Julii apud exercitum magna Officialium promotione instituta , phalangis

Commendans Dominus supremus Vigiliarum Praefectus Kraitner, Vice-Colonelli honore est condecoratus.

e k) 12-a Decembris subsecuta pace, exercituque ad suas stationes remisso, et haec phalanx a Generali exercitus Praefecto ob egregiam virtutem laudata, iter aggressa, 15-a Januarii 1810. Naszódium, hinc vero ad proprios Lares remeavit.

l) Dum tota Europa per 4 lustra motibus agitata dulcem quietem capere optabat, Gallorum Imperator *Bonaparte* giganteum planum moliebatur, Colossum, ut ajebat, septemtrionalem, Russicum puta Imperium debellandi, et sub jugum mittendi, quod ut efficieret, ingenti cum exercitu, sociorumque insigni numero ipse iter suscepit, verum infausto omine, etenim ut et ipse homo victoriis elatus, se adversae fortunae ludis subjectum sciret, placuit divinae Providentiae intentionem ejus confundere, atque eundem eodem ictu, et exercitu, et imperio privare, sicque universum humanum genus docere: Nihil, nisi a Deo sperari, et cum ejus nutu firmum, stabileque esse.

In hac rerum turbata facie Augusta  
Domus Austriaca suum observationis exercitum 80,000 constantem, Duce Principe Schwarzenberg imperavit, ad quem et Legio haec Valachica disposita, sub Praefectura Colonelli *Lenk* duas phalanges e revisionali statione Jáád et Borgo 28-a Aprilis 1812. per Bucovinam in Galliciam expedit, quarum prima D. Colonelli curae credita, 26-ta Junii 1813. *Laszyi* revisione peracta, in patriam, ubi eidem Claudiopoli, Maros-Vásárhelyini, et Bisztriciei praesidiaria servitia ponenda, tres centuriae ad lineam paeclusoriam pestilentialem conservandam, Coronam expedienda erant, remissa, secunda sub Praefectura Domini supremi Vigiliarnm Praefecti *Kapsarment* iter in Italiam suscepit, ubi sequentibus interfuit proeliis:

*fa)* Die 28-a Octobris 1813. ad *Marcu Pievo*, in quo Locumtenens Morár, et 7 Gregarii sunt sauciati.

*fb)* Die 20-a Novembris ad *Veza*, in quo Vigiliarum Magister *Borcotsel* cum 20 individuis in bellicam captivitatem incidit.

*fc) Die 27-a Novembris 1813.* divisio Capitaneo *Marincovich* credita , cum nationali militia , ad *Vumiglio* disposita , arcem *Tonale* reoccupavit , unum Officialem , 49 cataphractos equites coepit . — Ad *Laco de Garda* Corporalis *Nika Bichischan* cum 20 individuis , curae Capitanei *Mayer* creditis , a pyrobolaria caterva sejunctus , integrum hostium centuriam ex sua positione abegit , et unum tormentum coepit , sicque militiae nostrae viam aperuit alimenta sibi vendicandi , quamobrem argenteo numismate est condecoratus .

*fd) Die 7-a Decembris in valle Val-Camonicae* dicta , ad *Monte Tonale* , prope *Pont d'legne* Vexillifer *Stephani* graviorer vulneratus , una cum primario Locumtenente *Scheidel* , Sub-Medico *Pálfi* , et 40 Gregariis bellicae captivitati asserti sunt .

*fe) Die 12-a Februarii 1814.* Capitanus *Vurzer* occasione explorationis versus *Salo* susceptae , in hostiles custodias irrumpens , easdem est aggressus , quia vero hostis ex *Salo* ad munimenta se recepit , ulteriori persecutioni supersedere debuit .

*ff)* Die 16-ta Februarii phalanx haec a reliquo exercitu sejuncta , et exiguo equitum numero stipata , a Vice-Rege Italiae cum tribus Granateriorum agminibus , et totidem equitum turmis obviam facto , ob exortum apud *Salo* hostilem impetum se retrahere usque *Toscolano* coacta est , 35 militibus in pugna cadentibus — ubi

*fg)* Sequenti die 17-a Februarii acer-  
rima pugna inita ; nostri agminis adversus  
praevalentem hostis potentiam fortitudo vel  
inde etiam abunde reluxit , quod hac die  
Capitaneus *Branovatzky* sauciatus , prima-  
rius Locumtenens *Bertlöf* , Sub-Locumte-  
nens *Motz* , et Vexillifer *Stephanovich* cum  
5 Vigiliarum Magistris , et non contemnen-  
do Gregariorum numero in captivitatem de-  
lapsi sint , sed testatur et Senatus Saloien-  
sis Comiti *Belegarde* , subinde Caesarei exer-  
citus Duci , ex eo quaerenti : *quid quod Vice-Rex Italiae cum tanto robore unicum debile agmen ipse in persona sit aggressus?* respondens : Omnino istud unicuique ag-  
men per magnorum virorum jacturam mag-  
num illi detrimentum intulit , etenim et Ad-  
jutantium Vice-Regis peremis.

*fh)* Post ietam pacem 19-a Aprilis 1814  
reditui commissa , 24-a Augusti ejusdem an-  
ni in Patriam pertigit.

Tot fata , labores , et belli difficultates  
pro Clementissimo Principe , et chara Pa-  
tria Legio haec fortiter sustinens , digna est ,  
ut ab omnibus Patriae Patribus foveatur.

## IX.

Licet Bonfinius rerum Hungaricarum  
Decadis 2-ae Lib. 7. pag. 196. sub A.

Istvánfius Historiarum Libro 13-o pa-  
gina 136.

Katona Historiae pragmaticae Regum  
Hungariae Tomo 25. pag. 801. et sequenti.

Benkő Transylvaniae Tomi 1-i §. 156.  
Valachos Romanorum Coloniarum per Tra-  
janum , tum ad Provinciam defendendam ,  
tum ad agros et urbes colendas introducta-  
rum reliquias esse extra dubium posuerint ;  
novarum nihilominus rerum studiosi , quo  
motivo inducti , ignoro , sententiam novam  
cudere , ac eos jam Bulgaros , jam Serbos ,  
jam alterius originis homines , post funda-  
tum Regimen Hungaricum in has oras im-

migrantes, asserunt; quo motivo inductos  
hoc asserere, ignorare me dico ideo, quod  
sive illis origo Romana, sive alia sit, per  
hoc eisdem nihil accedere possit, nec dece-  
dere, si crebro novatorum conformis origi-  
nis adstruantur, quidquam potest; *non e-  
nimir sangvinis origo, sed sua quemque  
virtus nobilitat*, nec ergo sangvinis origi-  
ne, sed aut suis simul, et Majorum, aut  
propriis solum paeclare gestis cumulatus  
enitet, gloriarique potest.

Meum hic propositum non est cum his  
certare, vel illos longa serie enumerare,  
sed quaedam obvia solum novissimi genii ho-  
minibus enodanda proponere.

a) Philologia est magistra certissima  
homogenearum lingvarum, lingua index in-  
dubius originis Nationum, jam eadem fida  
magistra pro criterio identitatis originis lin-  
gvarum, consequenter et Nationum figit. —  
*Primo* verbum substantivum *sum*. *Secun-*  
*do* nomina rerum, in sensus magis caden-  
tium, et maxima necessiarum. *Tertio* ho-  
mogenearum vocum et verborum quantita-  
tem, ac his principiis sua argumenta nectit  
ratione, quae sequitur: Quarum lingvarum

verbum substantivum *sum*, nominaque usui  
 quotidiano deservientium rerum magis prae-  
 cipuarum et necessariarum conveniunt sal-  
 tem in una tertialitate, ejusdem originis  
 sunt, — consequenter in principio ejusdem  
 etiam Nationis. Hinc lingvam Gallicam, Hi-  
 spanicam, et Italicam, filias Romanae, Na-  
 tiones vero has Romanorum soboles esse.  
 — Lingvas porro Russicam, Polonicam,  
 Bohemicam, Croaticam, Rascianam, Slavo-  
 nicam, Bulgaricam cum Slavica ejusdem es-  
 se originis. Nationes vero has unius matris  
 natas depraedicant, qua ergo fronte, quave  
 conscientia negare praesumant lingvam Va-  
 lachicam Romanae esse filiam. — Valachos-  
 que Romanorum nepotes, non video, nam  
 cum hujus verbum substantivum *sum*, *Jo*  
*sum*, *tu esci*, *el este*, *Noi suntemu*, *voi*  
*sunteti*, *ei sunt*. *Jo eram*, *tu erai*, *el*  
*era*, *Noi eramu*, *voi erati*, *ei erau*, etc.  
 ferme idem, quod Latini sermonis sit, no-  
 mina, verbaque rerum, maxime in sensus  
 cadentium perinde latina sunt, eo solum exi-  
 guo cum discrimine, quod tertiae declina-  
 tionis nomina ablativi singularis terminatio-  
 ne proferantur, reliquarum declinationum  
 vero ultimam nominativi literam respuant,

aliquasque interdum litteras mutent; v. c. **Vinum** — **Vinu**, **Vinum** ardens (idest crematum) — **Vinu arsu**, **Dominus** — **Domnu**, **Ungvis** — **Unghe**, **Dens** — **Dinte**, **Vervex** — **Berbece**, **Caput** — **Capu**, **Frons** — **Frunte**, **Pectus** — **Peptu**, — interdum vero loco nominum a verbis derivatorum ponitur infinitivum, ut: **Sensus** — **Sintire**, — copiosissima exempla Grammaticam Domini Joannis Alexi, 1826. Viennae editam; aut Clarissimi Benkö, Transylvaniae Tomi 1. §. 156. notam 4-am legens habere potest.

b) Evincunt id et mores plurimi, apud populum hunc vigentes, in gentilibus Romanorum ritibus fundati, utpote:

1-o Mortuis aut infra lingvam, aut voleae manus obolum imponere solent, qui mos fundatur in obolo Caronti debito.

2-o Gallinam nigram juxta caput mortui alicui, invicem agape donare solent; haec est gallina apud Romanos Plutoni data.

3-o Operto viri capite, foeminae vero sparsis capillis, et diversis cantilenis Nae-niarum instar mortuos deplorant.

4-o Saliorum saltum in honorem Martis olim exercitum, *Caluseri* hodie expedient.

5-o *Naedeas*, seu diversarum Dearum olim celebrata Festa, epulis praesertim in Comitatu Hunyad hodiecum celebrant statis temporibus.

6-o In Festis Pentecostalibus pecora florū sertis ornata, domatim inter cantus et musicam deducunt.

7-o Ex intestinis, et volatu avium Aruspicum more hodiecum praedivinatur rustica plebs, et innumera alia praejudicia, antiquis fabulosis Sacris irradicata reperies.

c) Multo majori admiratione digna res est, quod dum sermonis identitatem docentur, regerant hoc inde provenire, quod populi Romani perpetua lex fuerit: gentes subactas ad lingvam Romanam, neglecta propria, adoptandam cogere, — si enim hoc staret, tunc Germani, Slavi, Thrases, Graeci, reliquique Romano Imperio litantes populi, unicam hodie, eandemque cum Vlachis communem loquerentur lingvam, cum et hi omnes eadem lege obstricti fuerint.

d) Sunt denique alii, qui asserunt, quod Valachi fundato Hungarorum Regimine, serius ex vicinis Provinciis Daciam nostram immigrarint, — sed hi tempus —

modum — et occasionem ingressus hujus indigitare recusant, pedetentim autem tantam hominum copiam, alluvionis more in Provinciam immigrasse, creditu est impossibile, — sed insuper his ego Anonymi Belae Regis Notarii, cuius fidedignitatem, a Clarissimo Georgio Pray in dubium vocatam, Clarissimus Stephanus Katona Historiae criticae primorum Ducum §. II. egregie defendit, et plene stabilit Cap. 25. et 26. obijicio, qui expresse docet, quod dum Tuhutum Transylvaniam ingressus est, hanc Valachi et Slavi, Gelaonis Valachorum Ducis Imperio subjecti, incoluerint, occubente in proelio Duce Gelaone, inhabitatores (Valachi videlicet, et Slavi) ultra non restiterint, sed sponte dextram dantes, Tuhutum sibi Dominum elegerint, et eidem fidem juratam dederint, unde et locus ipse hodieum *Eskiüllő* (est hodiedum vicus, in Comitatu Doboka situs, non procul a Hídalmas) vocetur; — ergo evincit cum ingressu Hungarorum Valachos sub propriis suis Ducibus Daciam mediterraneam coluisse, et quia et Slavi memorantur, qui Bulgarorum, Avares olim debellantium, reliquiae sunt,

— Valachos Bulgarorum reliquias haud esse extra dubium locat omne , — docet denique et id , quod hi non tam armis , quam pacto potius Imperio Tuhutum se submiserint.

Privilegium Andreae II-di , Saxonibus Transylvanis datum , 1224. perinde Valachos et Bulgaros distinctos populos in Transylvania exstitisse innuit , dum ait : *Sylvas autem et aquas cum Blachis et Bissenis communes habebunt.*

Cum Joanne Filstichio , Rectore Gymnasii Coronensis , qui Schediasma Historicum de Valachorum Historia scripsit , et edidit Jenae 1743. docet Clarissimus Benkő Districtus Fogarás Valachos Duce *Niger* , sive *Negrouot* Valachiam desertam , Duce Bogdan vero Marmatienses Valachos Moldaviam saeculo XII-o occupasse. In Privilegio Juris gladii , a Ludovico Magno 1366. Nobilibus Transylvanis concesso , Valachorum communium mentio fit , ergo et Nobiles Valachi fuerunt , secus epithetum *communium* locum non obtinuisset. 1427. inter Nobiles et Colonos initae pacificationis serie Hungari et Valachi Coloni exprimuntur , cum Nobilitate concordasse ; ergo pro-

ut Nobilitas, ita et promiscua plebs colonialis ex Hungaris aequae, et Valachis constitit, scilicet electo sibi Duce Tuhutum, populi Daciae mediterraneae cum adoptatis in communionem terrarum Hungaris in unum populum coaluerunt, adeoque eadem lege, libertateque, juxta classes, in quas uterque populus divisus erat, gavisi sunt, — 1463. in Articulis Transylvanorum Insurrectionibus, Valachi Coloni cum reliquis aequa lance insurgere obligantur.

Uladislai II-di Regis Diplomate Martiensis Monasterii Praeposito per Antonium Patriarcham Constantinopolitanum data Privilegia ea lege confirmantur, ut subsit Munkátsensi Episcopo, et dependeat ab Archi-Episcopo Albo-Julensi. — In Templo Felekiensi, territorio Claudiopolitano adsito, est Evangelium Ruthenicum, 1474. manuscriptum in rationem Danielis Episcopi — cuius filiorum divisionales quoque exstant. Si hi novi adventitii incolae fuisserent hujus Provinciae, eorum tam crebra mentio in antiquis monumentis non esset; — sed nec ita multiplicari quivissent, ut vicinas Provincias occupent, et qua populus

liber, suis Dinastis parens, incolant, —  
Episcopos et Archi-Episcopos numerent, ve-  
rum ut aliae gentes, successive in Transyl-  
vania sedem figentes, nonnullas solum Pro-  
vinciae partes, aut loca obtinuissent. —

---

*Sed quaeres fortasse quae ratio sit,  
quod Valachi ad parem cum tribus prin-  
cipalibus Nationibus culturae gradum non  
pervenerint?*

Hoc quidem inde repetendum est, quod Valachi orientalis Ecclesiae ritum sequen-  
tes, Ecclesia hac a Romana Schismate sub-  
orto scissa, Schismatici infideles habitи sint,  
Clerus Decimarum beneficio privatus, potior  
Nobilitas ipsa sensim ad Romanum ritum  
transiverit, unde factum, ut hi cum caete-  
ris Hunnici sanguinis Nobilibus, quibus li-  
bertatibus pares erant, in unam Nationem  
abiverint, — inde vidimus Joannem Corvi-  
num plurium sacrarum apud Catholicos ae-  
dium fundatorem, Capistranorum, et Paulini-  
orum protectorem, et Regni Hungariae  
Gubernatorem, et celeberrimum sui aevi  
Belliducem. — Hujus vero filium Mathiam

Regem immortalis memoriae. — Nicolatum Oláhum , Zagrabensem , dein Agriensem Episcopum , et tandem Archi - Episcopum Strigoniensem , — inde videmus notabilium Familiarum partem Graecum ritum sequentem , Valachis , partem vero aliam , alias receptas Religiones profitentem , Hungaris adscribi. — Distinctio haec maxime post Reformationis in Religione catholica Ritus latini admissae vicissitudinis invaluit ; — in eo enim omni studio laboratum est , ut Valachi prius sub Joanne Sigismundo Zápolya , agente Demetrio Hunyadi , Superintendente Unitariae — dein sub Georgio I. Rákózzi Reformatae Religioni addicantur , hinc Cathechesis , principia Reformatae Religionis sugillans , Valachis obtrusa ; — hinc nonnulli Sacerdotes regimini Superintendentis submissi , Nobilitate donati , Graecanicam , ut ajebant , Sectam sequentes vero Nobiles bonis privari ordinati , Articulo 6. 16/1. (qui tamen Articulus effectui nunquam est datus) hinc denique factum , ut unius matris prolium alia Hungaris , alia Valachis addicta , productricem arborem utrinque se- cuerint , et ipsi etiam Nobiles vi patriarchum

fundamentalium Légum iisdem libertatibus ornati, ob retentum Graecum avitum Ritum, dubiam sortem experti fuerint, — sed hinc et illud factum est, ut plurimae Hungaricae, Hungaricae, vel Saxonicae originis Familiae Graecae Religioni, utut in hoc Principatu primum satae, addictae parti Vallachorum adnumeratae sint, ut adeo hodie, si examines singulos nobiles Hungares Transylvanos, paucos reperies, quorum si non radix, saltem ramus huic Nationi non debeat, ac recte ideo, quamvis Religionis causa tolerati censi sint Valachi, Nationis tamen honore non sunt privati, in Legibus enim ipsis hoc nomine insigniti comperiuntur, A. 1. t. 8. A. 1. et t. 9. A. 3. t. 53. et passim alibi.

Religionem Graecam primum apud Transylvanos satam esse commune est Historicorum assertum, etenim, si periodum ab Hungarorum ingressu sumtam respiciamus, et Gyulam seniorem Transylvaniae Ducem Constantinopoli a Theophilacto Patriarcha sacro ablутum fonte, Christicolis adscriptum, hanc Religionem per Hieroteum Episcopum Ritus Graeci, apud suos propagasse, et Gei-

zae Ducis fratrem Michaëlem, et ejus filium *Vazulem* ibidem baptisatos, et recte ideo sub S. Stephano, et ejus Successoribus parem rationem utriusque ritus habitam fuisse, ex eo evinceris:

a) Quod Mater Divi Stephani Sarolta Gyulae filia hujus ritus fuerit.

b) Quod D. Stephanus Graecis Monialibus Monasterium elegans in Valle Veszprim Fundaverit.

c) Quod plura Graeci Ritus Religiosorum Coenobia erecta sint, ut querela Pontificis desuper mota testatur.


d) Quod crebra connubia inter Hungariae Reges, et orientalis Ritus Principes inita fuerint, ut Geizae Ducis cum Sarolta Gyulae Principis Transilvaniae filia, Andreae I-mi cum Egmunda Ruthenorum Principis filia — S. Ladislai Sororis cum Imperatore Graecorum, — Collomanni cum Ruthenorum Principis filia, — Belae Coeci cum Helena Urosii Serviae Ducis filia, — Belae III. cum Emmanuelis Comneni Graecorum Imperatoris filia, et alia.

e) Sed et Leges id testantur, dum S. Lad. D. L. 1. c. 11. statuitur; quod si vil-

la remotior ab Ecclesia fuerit, ut villani Ecclesiam adire non possint, pergit unus nomine totius Communitatis cum baculo ferens tres panes, et candelam ad altare; hac enim lege innuitur, quod praesphoris ritu orientali usi fuerint in sacrificio Missae, nec enim secus tres panes, et candela ad Ecclesiam ferri praeciperentur, sed nec baculus huic praecepto adjungeretur, nisi more Graecorum stantes Missam audituri fuissent, sustentandoque defatigato itinere corpori baculus necessarius fuisse, — id quod uberius deduci potest ex ejusdem Divi Lislai D. L. 1. C. 51. ubi Latinos die martis carnes dimitentes e regno exire jubet, nisi Hungarorum, in dimissione carnis Graecam Ecclesiam sectantium, consuetudini assenserint.

Nec illud paradoxum videri debet, quod Hunnicae, Hungaricae, aut Saxonicae Originis multas familias ideo solum, quod Graecum Ritum sequantur, Valachis adnumera-ri adseruerim, si enim rite quis perpendat.

a) Quod in Comitatibus praesertim Szolnok Interiori, et Districtu Kövár plurimae Familiae cognominis Hungarici, linguae so-



Ium Valachicae, ast Hungarica, maxima parte mixtae gnarae, ritum Graecum sequentes, et ideo Valachis adnumeratae v. c. Illyés, Kontz, Lázár, Szabó, Haragos, Bartos, Gyepes, Filep, Lengyel, Hordó, Tollos, Kis, Bálint, Hosszu, Csukás, Sándor, et alia plura; — quod

b) Vestitus, et saltus horum incolarum Hungarico accedat. — Quod

c) Juvenes in his partibus tempore Paschatis more antiquorum Hungarorum Regem, Palatinum, Comites, et Judices sibi eligant, et in delinquentes Judicia celebrent. Haec certo evincunt partem hanc Valachorum revera Hungarorum, vel potius Avarum, per Corobatas, et Bulgaros ad has partes repressorum, esse reliquias, et ob solam Religionem Graeci Ritus Valachis numerari, *Inter Saxones* integros pagos hodie Valachis cultos comperies, incolarum interim habitus, et nomina Saxonica sunt, aut cognomina: Szász, Blos, Gotzmán, Aleman, Mán, et alia complura Valachica sunt?

Nec hoc prudens quis negabit, quod plerique Nobiles Comitatuum Transilvaniae, si non radicem, saltem ramum Valachicae

Nationi innixam habeant. Natio namque haec, vetustissima hujus terrae accola, ut hortulano sylvaticae radices ad nobilissimas arbores inoculandas deserviunt, nobilibus Familiis propagandis firmas radices praebuit, — scilicet sapientissima Majorum institutio illa, ut qui nobilitari praerogativa ornat, Hungarus habeatur, saepius per incursionses hostiles depopulatum Regnum, non solum per Valachicae, sed et extra-neae, puta: Slavonicae, Croaticae, Germanicae, Gallicae, Hispanicae, Italicae, Thraciae, Bulgaricae, Russicae, Graecaeque originis homines, qui per Indigenatum, aut alia nobilitationis via Nobilitate Hungarica donati, in sensu Legum hodie veri Nobiles Hungari censemur, — pristino restituit flori, lingvam excoluit, mores perpolivit, et generosae Nationis Hungarianae existentiam ad haec usque tempora conservavit, conservabitque in saecula, dummodo sancte haec Institutio, ab omnibus praejudiciis pura, mundaque conservetur, — conservabitur pura vero tunc, si in defigenda nationalitate non sangvinis origo, (quae individualiter sumta, dubia est) sed jus Fundum possiden-

di respiciatur, ut hoc systematica regnico-  
laris Deputatio, in Juridicis 1791. Art. 64.  
ordinata, in parte operis sui 1-a sapientis-  
sime asseruit.

Percipies ergo, quam difficile sit indi-  
vidualiter sumtam determinare nationalita-  
tem, quam praejudiciosa unius, vel alterius  
Nationis vilipensio et vituperatio, optan-  
dumque esse, ut eradicatis ex animo civi-  
um praejudiciis, crassae ignorantiae natis,  
ad sensum régnicolaris Deputationis prae-  
adducti principii sumta nationalitate, inter  
Nobiles, Civesque mutuus amor fraternus  
foveatur, nec Religionis, vel sanguinis ori-  
ginis causa is unquam turbetur; sed nec ju-  
re civitatis expers plebs contemnatur, quod  
enim providentiae divinae arcana disposi-  
tione hujus, vel illius sortis quis sit, id ei  
nec virtuti, nec vitio verti, aut imputari pot-  
est, sola moralitas aestimanda, immoralitas  
vituperanda, et mediis, quantum fieri pot-  
est, efficacissimis eradicanda est. Percipies  
ergo, quanti facienda sit materna Augustae  
sollicitudo in erigenda militia limitanea, vi-  
cujus et securitas, praesertim contra cre-  
bras, quae provinciam saepe aere, homine,

et pecore evacuant , Tartarorum incursiones , latronum invasiones , et morborum contagiosorum irreptiones firmata est , et notabili parti incolarum via ad concivilitatem , culturam , adeoque patrii soli sollicitum a morem , et defensionem aperta est .

At forte objicies : si tanti aestimata Natio Valachica est , ut Archi-Episcopis , Episcopis provideri meruerit ; quae ratio feritatis , et vitiorum , quibus haec Natio dedita depingitur ?

Horum rationem : a) In ipso Graeco Ritu Schismate affecto , b) In mutatione avitarum cum Cyrilianis literarum , c) In aspera colonorum glebae adscripta conditione quaerendum , adstruo . Etenim ad

a) Vicissitudines , ex Schismate inter orientalem et occidentalem Ecclesias reviviscente , subortae , in odium versae , Graecos eo induxerunt , ut communionem inter duas has Ecclesias intercidant . — Cujus ad

b) Medium efficacissimum latinarum literarum exterminatio fuit , hac enim ratione commercium litterarium , excitationis ex altissimo ignorantiae somno parens , intercisum , praejudicia gravissima sparsa , altis-

simas radices fagentia adeo inveterata sunt, ut illa exterminare, Aegei stabulum purgare, aut littus arare fuerit. Ad haec Clerus ipse incultus, ignota Ruthenica, vel Illyrica a potiori lingva celebrans, populo aedificationem nullam, vel exiguum adferre potuit. Clerus incultus esse debuit ideo, quod Legibus Regni, quo magis ad amplectendam unionem, sub antiquis Regibus Romanae Ecclesiae, sub nationalibus Principibus vero cum Unitaria, serius autem cum Reformata Religione incitaretur, decimis, et aliis beneficiis privatus, subsistentia omni, adeoque et mediis, et incitamentis culturae destitutus, de propria sustentatione procuranda sollicitus, vix precibus finiendis sufficere potuit. — Porro ad

c) 1514. Uladislai II. D. 7. colonorum classis perpetuae servituti addicta, omni etiam personali libertate privata fuit adeo, ut etiam si virtutibus quis eminisset, si Domini non accessit consensus, nobilitari nequiverit, — Sacerdotes ipsi honorario, Domino Terrestri solvendo gravati, filios suos excolere ideo nequiverunt, quod hi per Dominos, ut res suae, e scholis eripie-

bantur, et si Domino libebat, vendebantur, aut ad servitia curialia addicebantur; qualis igitur Clerus in tantis angustiis sperari potuerit? quisque capere potest. — Hinc illud, quod pauperculi Sacerdotes vix legere postremo sciverint, rari scribere, rarissimi vero, qui etiam alias lingvas noscerent, imo factum est, ut ex Hungariae partibus profugi Raşciani potissimum Sacrificulos agerent, qui si festos dies celebrari, et sacra curari ursisset, jam plectebantur; imo et ipsi inculti, vitiis dediti, qua fures, horumque receptores potissimum censebantur; a talibus pastoribus qualis animarum cura, et animorum cultura sperari potuerit? nemo sanae mentis non videt. — Accedebat his et illud, quod intentioni Principum, de uniendis Reformatae Confessioni Valachis conceptae, conformiter, jam pars Cleri ipsi Reformatorum Superintendenti subjecta fuerit, pars vero suo Archi-Episcopo, Albae-Juliae degenti; at Superintendenti Reformatorum quodammodo subordinato, paruerit, illa igitur Superintendentis nutui parebat, haec vero sine illius annutu vix aliquid agere valebat.

Minime vero miraberis sortem hanc Cleri Graeci Ritus in Transylvania, si per penderis per Reformationem 1521. in Hungaria et Transylvania aliquas radices sigen tem, post infelicem cladem Mohácsensem vero duobus eodem tempore creatis Regibus, de summa Imperii disceptantibus, utramque Provinciam inundantem, separata porro 1541. Transylvania ab Hungaria, et 1556. bonis ecclesiasticis Fisco addictis, in Transylvania dominantem, Romano-Catholicam Religionem antea florentissimam, arctissimis circumscriptam fuisse limitibus, ut adeo dum

a) Caeterae suos haberent Superintendentes, haec unico Vicario liberis votis eligendo, et a Principe confirmando regeretur.

b) Claudiopolim, et alias Civitates Sacerdotibus catholicis aegrotos visitandi, moribundos sacro itinerario providendi, mortuos sepeliendi, et infantes baptisandi causa solum admissus sit ingressus ea lege, ut functione terminata, nullas moras amplius trahere licuerit, imo Debrecinum, Boros Jenö, et Varadinum nec functionum harum gratia sit admissus accessus.

c) Templa libera Catholicis lege publica data fuere: Biturritum Kolos-Monostoriense, Udvarhelyiense, et Csík-Somlyóviense.

d) Jesuitae sub poena notae, in fautores quoque extensa, sunt proscripti; Academia cum Seminario et Convictu, munificientia Regis Poloniae Stephani Báthori 1581 fundata, Principum vero Christophori et Sigismundi Báthoriorum, amplis redditibus provisa, sublata, et Gymnasiola duo, Mikháziense et Csík-Somlyóviense solum relitta. — Eo videlicet conatus Principum omnes tetenderunt, qui post sublatum Moysem Siculum, vi publici Regni Statuti Reformati esse debuerunt, ut apud Hungaros et Siculos saltem Evangelico-Reformata Religio, quae Orthodoxae epitheto honorata est, introduceretur, et praedominaretur, quare Missionarii missi, et conversio eo cum successu tentata est, ut in Comitatibus Catholici rarissimi, in Sedibus Siculicalibus, si Csík cum suis filialibus Gyergyó et Kászon excipias, (resistente enim harum Sedium Capitaneo Michaële Mikes, Reformatio hoc nulla penetrare potuit) nonnisi in

montosis partibus perseverare potuerint. — Si itaque haec Catholicis, quorum libertatibus pacto unionis trium Nationum, cardinem systematis hujus Principatus constitutive expresse cautum est, ita evenere, paradoxus Cleri Graeci Ritus superius praemissus status minime videbitur.

Affulsit tandem Catholicis consolationis sol, sed et tranquillitatis toti Provinciae desideratae illuxit tandem dies, 1691. 4-a Decembris, qua Leopoldus Magnus Hungariae ab Ottomannorum jugo, sub quo 145 annis, et 16 diebus Regum Hungariae Sedes Buda, cum notabilissima Regni parte gemuerat, Liberator, ad preces Statuum Transylvaniae edito sacro Diplomate Regio, rebus Transylvaniae sapientissime prospexit. Catholicis libertates reliquarum receptarum Religionum jūribus et libertatibus pares esse statuit. — Accepto enim hoc sacro Diplomate, perpetuae conventionis inter Status Transylvaniæ et Augustam Domum Austriacam vigen-  
tis vices tenente 1692. reliquarum Religionum Status Catholicis Claudiopoli Reformatorum, (olim Dominicanorum, nunc vero Franciscanorum) Albae Báthoreum Templa cesse-

re, convenereque, ut Dominium Kolos-Monostor ab ejus possessore in rationem Scholarum catholicarum redimatur, conventione hac 1695. 9-a Aprilis Benigno Decreto Augusti ea cum qualificatione, ut Claudiopoli Unitariorum Templum, quod a Sigismundo quondam Caesare et Rege fundatum, parochialis, Tabulario regnolari, quod ante saecularisata bona ecclesiastica, in Sacristia Conventus B. M. V. de Kolos-Monostra assertabatur, gloriens sacra aedes erat, loco oblati Reformatorum Catholicis sacris cederet, laudata, et accepta, Alvintziana Resolutione ratihabita, et Templa suis Curionibus provisa, et Scholae in eruditionem succressentis pubis patuere; Magnus enim Leopoldus Albam, Claudiopolim, Cibinium, et alia loca, reducto Ordine Societatis Jesu, Scholas aperuit, Báthorianum Convictum et Seminarium instauravit, et quo Catholicis ad munia publica civilia, et ecclesiastica beneficia aequalis cum caeteris aditus sit, Resolutione Mikesiana, ab implorante Michaële Mikes dicta, 5-a Septembris 1699. edita, et Benigno Decreto de 1702. effectui dari jussa, statuit.

Rákótzianis motibus an. 1703. inchoatis, 1711. mense Aprili compositis, reddita Transylvanis interna quiete, 1715. Carolus 6-us Episcopatum, et Capitulum Albo-Juliese instauravit, 1744. Art. 7. sublatis omnibus, Religionis Catholicae libertatem restringentibus Legibus, Jesuitis data bona e registro Fiscalium exemptis, Catholici plena libertate frui, et notabilia incrementa capere coeperunt, 1791. tandem omnes quatuor receptae Religiones in suis libertatibus denuo firmatae, fraterno amore se complectuntur.

Non leve augmentum Catholicae Religioni addidit Unio Valachorum, 1697. 20-a Martii subsecuta, hac enim ratione Graeci Ritus uniti Religionis Catholicae membra effecti, in Comitatibus Transylvaniae nobilium Valachorum filii litteris culti, Latini Ritus Sacra secuti, Romano-Catholicorum numerum auxere, uti Aronian, Bisztraiani, Dobraiani, et plures alii, quorum pars hodieum Graecum Ritum sequentes Valachi censentur vulgi opinione.

Unionis hujus originem, progressum, et vicissitudines brevibus expositas in sequentibus accipe:

Leopoldus Magnus 1693. reputans secum victorias de Turcis reportatas, in principe Ecclesia divi Proto-Martyris Stephani Viennensi emisso solemnni voto, exemplo divi Regis Stephani, Regnum suum suo, et successorum suorum nomine, Sanctissimae Dei Genitrici Mariae, Magnae Hungarorum Dominae donat, dicat, et dedicat. (Timon Epitome rerum Hungaricarum et Transylvanicarum pag. 275.) Subsequente anno 1694. ut Sacerdotes Graeci Ritus ad unionem cum sancta Matre Romana Ecclesia converteret, in eademque conservaret, edito Diplomate, eosdem libertatibus et privilegiis, quibus Clerus Romano-Catholicus utitur, frui statuit; (eadem Epitome pag. 277. teste) cuius consectarium felix quoad Valachos Transylvanos agente Patre Paulo Baranyi Societatis Iesu Parocho Albo-Julensi, illud fuit; quod Theophilus Archi-Episcopus coacta Albam Synodo, cum Clero ibidem agente ejurato Schismate, sacram Unionem amplexus fuerit, singulosque sibi subordinatos Sacerdotes, absentes quoque idem facere jusserit, ut hoc P. Ilias in ortu et progressu diversarum Nationum et Religionum in Transylva-

nia, et Petrus Dobra, Fiscalis Director, in relatione ad Thesaurarium Regium die 28-a Decembris 1748. facta, docent. — Unde BB. Decretis Regiis de annis 1698. 4-a Aprilis Nro. 229. — 1699. 26-a Augusti Nro. 345. aliisque compluribus, unitis Sacerdotibus a tributo, aliisque oneribus publicis plene exemptis, ac tum his, tum auditoribns hujus Religionis, reliquarum Religionum receptarum asseclis, competentibus libertatibus, privilegio 17-a Martii 1701. clementer edicto collatis et confirmatis, si Bolgárszegienses, et Fogarasienses Graeculos, qui ob communio- nem arctam cum Transalpinensibus ratione bonorum intervenientem, in disunione per- severare nitebantur, excipias; omnes Vala- chi unioni se addixerunt. Theophilo Archi- Episcopo mense Julio 1698. fatis cedenti suf- fectus est 1699. Athanasius Angyal de Csüg- göd, sub quo regulatio Cleri coepit — hoc 1716. fatis erepto, eodem 1716. denomina- tus, et ut B. Rescriptum Regium de 20-a Septembris 1725. editum docet, neofundato Episcopatu Fogarasiensi, honore Consiliarii Suae Majestatis condecoratus, B. Joannes Nemes de Patak primus est admotus, hoc

est, quo Graeci Ritus Catholico Episcopo  
praeter florenum unum, a subordinatis Sa-  
cerdotibus quotannis pendi solitum, nullam  
aliam dotem habenti, illam vero, quam  
munificentia Principum Valachiae ex Argya-  
siensis Episcopatus bonis habebat, per uni-  
onem amittenti, subsistentia certa sit, Caro-  
lus 6-us Sedem Episcopalem in Oppido Fo-  
garas defixit, et pro subsistentia possessio-  
nem Bessenbachensem, et Dominium Sza-  
mosújvár contulit, sicque Archi-Episcopatus  
Albo Juliensis in Episcopatum Fogarasiensem  
transivit. — B. Joanne Nemes 1728. Albae-  
Juliae repentina morte sublato, anno 1729.  
die 6-a Maji Joannes Innocentius L. Baro  
Klein de Szád est Episcopus renunciatus,  
qui 1738. Dominio Szamosújváriensi cum  
Balásfalvensi commutato, Sedem Episcopa-  
lem Fogarasino Balásfalvam transtulit; Hye-  
romonachos, in regenda Dioecesi loco Ca-  
nonicorum Episcopo adstituros, et pubem  
succrescentem litteris exculturos fundandos,  
Monasterio et bonis providendos a Clementia  
Regia obtinuit, Cleri immunitates, li-  
bertates et praerogativas privilegio collatas,  
effectui dandas ursit, et articulariter con-

sirmandas procuravit , testibus Articulis 6.  
et 7. 1744.

Dum jam unio superatis omnibus , quae  
non pauca opposita fuerant , obstaculis , fixa  
firmaque crederetur — Episcopo Klein Ro-  
mam secedente , Bisarion nomine impostor  
e partibus Banaticis , Sophron vero ex Va-  
lachia alter Coripheus Provinciam invadunt ,  
quibus tertius denique Ordinibus in Valachia  
initiatus , ac ideo a functione paeclusus Sa-  
cerdos nomine Joannes , ex Szd Sedi Cibi-  
niensi ingremiata possessione , oriundus , ob-  
rasam per degradationem barbam , etiam  
Tunsu (Tonus) nuncupatus accessit , et in  
partibus paeprimis montanis , Valachiae et  
Banatui vicinis , imo et campestribus , pae-  
sertim Marusio adsitis , Schisma eo cum pro-  
gressu spargunt , ut non obstantibus etiam  
severissimis Regiis Ordinationibus , cōponi  
nequierint , unde factum , ut 1761. Disuni-  
tis quoque suus Episcopus datus sit , Coro-  
nae habitaturus . — Kleinio Episcopo susfe-  
ctus Petrus Paulus Aaron de Bisztra , qui  
Seminarium Cleri junioris , et 24 juvēnum  
secularium erexit , visitando Ecclesias Sacra  
suppellectile instruendo , et populum docen-

do, partem Valachorum in unione retinuit, imo multos etiam convertit, quod et successores, Athanasius Rednik de Gyulafalva, Gregorius Májor de Tasnád-Szarvad, et hodiernus Excellentissimus, Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Joannes Babb de Kopálnok-Monostor, felici successu continuarunt adeo, ut modo optimos progressus faciat, praesertim a quo Gymnasium Bálfalvae, Seminarium, et Lyceum Episcopale instaurata, Capitulum 1807. munificencia praelaudati Domini Episcopi erectum, et pro Clero fundatio posita est.

Multum juvit culturam plebis hujus libera migratio, colonis 1785. data; et Articulo 26-o 1791. suis limitibus circumscripta, hac enim via libertate personali ipsi etiam coloni donati, ad artes, opicia, litterasque colendas aditum obtinuere. — Accessit his paterna sollicitudo Augustissimi Principis de excolenda hac etiam Natione, consequenter erigendis trivialibus Scholis, et aliis mediis salutares factae ordinationes adeo, ut Clerus disunitus quoque Art. 60. 1791. Libero Religionis exercitio donatus, Scholarum suarum fundamenta ponere, et suos in

Convictu Caesareo Viennensi alumnos alere coeperit; ut itaque spes sit fore, ut rectis principiis sensim imbutus, ad saniora redeat. Sub nationalibus olim Celsissimis Principibus Dioecesis Transylvana sinu suo complectebatur Marmatiā, et Varadinensem Graeci Ritus. Dioecesim, ast illa circa annum 1724. agente Hoder.narszkyo Munkátsiensi Episcopo, eidem est adjecta, haec vero 1770. novo Episcopatu ornata. Multum culturae linguae Valachicae addidit hodiernus Zelantisimus Summus Magno-Varadinensium Sacrorum Antistes Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Samuel Vulcan, qui Cyrilianis substituit avitas literas, Dictionarium Valachicum plurium lingvarum, ab eruditis viris concinnatum, edendum effecit, Grammaticam curatissimam typis mandandam procuravit, Scholas triviales per Dioecesim plures, et in Episcopali suo Dominio Belényesini Gymnasium erexit; adeo, ut divinae Providentiae, cuius singulari in plebem hanc miseratione duo hi Summi nostrae aetatis Antistitites dati sunt, maximas gratias referre debeamus.

---

AD SAMUSIUM  
DE PONTE ILVENSI,  
CAROLI BARONIS ENZENBERGII  
Jussu constructo.

---

Carpaticis exorte Jugis, furibunde Samusi!  
Donec pauca loquar, siste parumper aquas.  
Ante tuus nulla potuit furor arte domari;  
Subjicis insveto sed modo colla jugo.  
Quique tuo nuper conspectu territus haesit,  
Prosequitur laeta fronte viator iter.  
Quis tamen haec ausit? tetram qui scilicet istis  
Littoribus formam depulit, Ille fuit.  
Ille fuit, mores per quem mutare feroce  
Romulidas, et Avos cernis adire suos.  
Ille tuo primus naves imponere dorso,  
Atque novas docuit Quaestibus esse vias.  
Hinc, hucusque tuos cum inglorius egeris annos,  
Jam late resonat nomen in orbe tuum.  
Oh! quam felici gaudes modo sorte Samusi!  
Quam tuus exiguo tempore crevit honos!  
Interea tali frueris si victus honore,  
*Victoris* quanto Gloria major erit!

---

EXCELENTISSIMO COMITI  
ANDREAE ab HADIK,  
SUPREMO PER TRANSILVANIAM ARMORUM PRAEFE-  
CTO etc. SECUNDAM LEGIONEM VALACHICAM PRIMUM  
PERLUSTRANTI,  
*Milites ejusdem Legionis.*

Hanc nisi victrici Portam, *Vir maxime*, Lauro,  
Sed tantum agresti surgere fronde vides.  
Parce, triumphales, Atavorum insignia, rami  
(Proh pudor!) in viles transiliere vepres.  
Non tamen immemores penitus virtutis avitae  
Nos piget antiquas rursus adire vias.  
Haud melior fuerat primorum forma Quiritum,  
Cum patria instruxit Romulus arte viros.  
Oh Tu! qui toto jam num celeberrimus orbe,  
Vix, Tua quo major gloria crescat, habes:  
Ne mentem contemne bonam; nos castra sequemur  
Si Tua, jam Nobis Romulus alter eris.

BIBLIOTECA CENTRALA  
a „ASOCIATIUNII”  
\* SIBIU \*  
Canebat  
C. SILVIUS TANNOLI.

Imprimatur.

M.Varadini 20. Sept. 1830.

LADISLAUS GEDEON m.p.  
Reg. Distr. Librer. Revisor.





